JUVENALIS ETHICUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE GRYPHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

DIE XXIV MENSIS JUNII
HORA XII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

REINOLDUS SCHUETZE
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
PAULUS WELZEL, CAND. PHIL.
GERHARDUS KROPATSCHECK, STUD. PHIL.

GRYPHIAE
TYPIS IULII ABEL
MCMV.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

Otto Seeck
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit

Guilelmus Kroll
professor p. o.

GERCKIO, KROLLIO, RADERMACHERO

S.

Index rerum memorabilium.

Index locorum.

I.

Qualis Juvenalis aetate philosophia fuerit.

Plerique viri docti, qui saturis Juvenalis interpretandis operam dederunt, auctorem non multa cum philosophis, cum rhetoribus paene omnia communicare censent.[1]) Velut Ludovicus Friedlaender in praefatione editionis vestigia ad sapientiae studium pertinentia nulla fere nisi in quarto libro et quinto inveniri dicit.[2]) Cui sententiae Friedlaender ipse repugnare mihi videtur, cum non modo e saturis, quorum argumenta cum praeceptis et placitis philosophorum congruere neminem fugit, sed etiam ex iis, in quibus materiae tractantur, quae primo aspectu cum philosophia nihil commune habere videntur, nonnullos locos contrarium fere demonstrantes afferat. Quam ob rem Ferraz in libello, in quo agitur „de disciplina Stoicorum apud poetas Romanos“,[3]) Juvenalem quoque in auctoribus philosophantibus merito numerat. Neque enim neglegendum est philosophiam Juvenalis temporibus aliam fuisse ac Platonis et Aristotelis aetate, cum e tribus eius partibus naturalis et rationalis nihil ferme iam valerent, omnia moralis.[4]) Tum enim, cum Juvenalis saturarum libros quinque componebat, philosophi sapientiam etiam magis pervulgare studebant. Quod ut efficerent, exemplo Cynicorum et Stoicorum philosophiae fines longius promovebant et de omnibus rebus humanis disserebant. Quo factum est, ut Traiani temporibus omnibus locis permulti philosophi sive hoc nomine digni sive indigni invenirentur.[5]) Et

---

1) Teuffel, Studien und Charaktere etc. p. 413; Schanz, Gesch. d. röm. Liter. II. 2 p. 169; Peter, die geschichtl. Liter. über d. röm Kaiserzeit etc. II p. 80 (Lipsiae 1897).

2) Aequius de Juvenale iudicat H. Wilcke, quid elocutio Juvenalis a Persiana differat (Stendal 1869) p. 7 . . . . „satiras Juvenalis philosophiam veram ac popularem sequens sententiis aut ex vita quotidiana aut ex aliis scriptoribus petitis polire et ornare studet.“

3) Parisiis 1863.

4) Muson. ap. Stob. ecl. II. 31. 123 (Wachsm. p. 239.28) . . . φιλοσοφία καλοκαγαθίας ἐστὶν ἐπιτήδευσις καὶ οὐδὲν ἕτερον. Dio Chr. XIII. 28. p. 249 Dind. cf. Zeller, die Philos. d. Griechen III. 1³ p. 733.

5) Friedlaender, Sittengesch. Roms III⁶ p. 688.

adeo vigebat haec philosophia, ut in ceuis Romanorum Platonis sermones recitari non inauditum esset.[1] Nulla re philosophi abstinebant[2] nec satis habebant de animo aut moribus hominum disputare, sed etiam praecepta dabant, quomodo barba tonderetur et vestis iudueretur.[3]

Etiam ii, qui alieni erant a studio sapientiae ut Quintilianus, neminem bonum esse nisi qui cognosceret doctrinam virtutis et iustitiae concedebant.[4] Idem autem volebant Seneca, Musonius, Epictetus, Peregrinus, alii. Hi quoque philosophiam studium virtutis et sapientiae esse perpetuo repetebant. Cumque animos hominum corrigere niterentur, etiam atque etiam non solum monebant, ut virtute appetenda homines beatudinem assequerentur, sed etiam continuo postulabant, ut vitia expellerent. Itaque Seneca vehementer in luxuriam, avaritiam, adulterium, libidines invehitur nec foedissima vitia describere veretur, ut taedium capiat eos qui legunt. Nihil aliud Juvenalis agit in saturis, praesertim cum hominum perversitates crebro non iocose illudat, sed plerumque acerbissime castiget.[5] Nam minus risum legentium excitare quam eos obiurgare cupit, qui talibus flagitiis indulgent. Propterea Juvenalis vestigia eorum philosophorum, qui homines quemadmodum errores exuant, praecipue docere volunt, non minus quam Horatius vel Persius sequitur. Nec mirum illud.

Cumque ad Horatium quoque Bionis diatribae plurimum valerent,[6] vestigia eius philosophi, qui optime sciebat ridendo dicere verum, fortasse etiam apud Juvenalem occurrunt. At de Bione tam multa scripta sunt,[7] ut haec silentio praeterire liceat. Satis fuerit iam hoc loco praemonere, quanta similitudo inter saturas Romanas et dissertationes illorum popularium philosophorum sit, qui more Cynicorum, quorum studia tum reflorescebant, animos ad virtutem reducere conabantur. Quam ob rem mihi certum videtur Juvenalem cum easdem fere res tractare tum simili quoque ratione atque illos uti.

---

1) Plut. Q. conv. VII. 8,1.2.
2) Wendland, quaest. Musonianae, Berolini 1886. Hirzel, d. Dialog I 387.
3) Frdl. S. G. III⁶ 709.
4) Q. inst. XII. 2. 1–28.
5) cf. sat. 1. 45 (Bolia de Horatio et Juven. satir. auctoribus p. 9 Frib. Brisg. 1861).
6) R. Heinze, de Horatio Bionis imitatore. Bonnae 1889.
7) Hense, Teletis reliquiae XLVI sq. Wachsmuth, sillogr. Graeci p. 73 sq. v. Arnim, Pauly-Wiss. III 483, Hirzel, d. Dial. I 374.

II.

Quid Juvenalis de philosophia et de philosophis iudicaverit.

Sed antequam ad singula transeamus, quaerendum est, quid noster sentiat de philosophia ipsa. Conferamus igitur versus, qui exstant in satura tertia decima, ubi sapientia his verbis celebratur:

187 .... *plurima felix*
paulatim vitia atque errores exuit, omnes
prima docet rectum sapientia.

Sapientiam hic idem significare ac philosophiam cum ex usu huius verbi apud scriptores Romanos tum ex antecedentibus verbis, quibus clementia Thaletis, Chrysippi, Socratis praedicatur, omnibus elucebit. Consentiunt autem hi versus propemodum cum Senecae verbis ep. 89.4: „*Alii studium illam virtutis esse dixerunt, alii studium corrigendae mentis. A quibusdam dicta est appetitio rectae rationis*“ cf. fr. 17. Etiam multis aliis locis philosophia id maxime effici, ut errores ac vitia tollantur et rectum — i. e. virtus — appetatur, Stoici docent, qui persaepe peccata errores vocant, quoniam neminem nisi ignarum peccare sentiebant. Rectum autem, quod docet sapientia, κατορθώματα sunt, quae opponuntur erroribus, quos Graeci vocant ἁμαρτήματα. Videmus igitur non solum sententiam, sed etiam usum verborum nihil differre a disciplina Stoica. Cum Stoicis in sat. 14 quoque secundum naturam vivere iubet: v. 321

Numquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Quod illi commonere numquam desinebant.[1]) cf. M. Aur. 5.9: μέμνησο δὲ, ὅτι φιλοσοφία μόνα θέλει ἃ ἡ φύσις σου θέλει.[2]) Tamen perversum est ex his paucis verbis concludere Juvenalem philosophum vere Stoicum fuisse. Vitia fugere, petere virtutem uniuscuiusque est, qui honesto animo praeditus est. Philosophi autem potissimum solam sapientiam vel scientiam rerum humanarum divinarumque hoc

---

1) Zeller III. 1³ 209⁴. In omnibus rebus naturam sequendam esse Cynici quoque statuebant. E. Weber, de Dione Chr. Cynicorum sectatore. Stud. Lips. X p. 98 sq.

2) cf. 7.11; Sen. ep. 41.7. Chrys. Stoic. vet. fragm. III 5 sqq. d. Arnim.

docere dicunt.[1]) At redeamus ad ipsa carmina. In satura undecima iis, qui sectantur inutilia, suadet, ut semet ipsos cognoscant: v. 27

. . . e caelo descendit γνῶθι σεαυτόν,
figendum et memori tractandum pectore.

Quod plerisque philosophis initium sapientiae videbatur.[2]) *Est illud quidem*, ut ait Cicero,[3]) *vel maximum animo ipso animum videre, et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat.* Thales interrogatus, quid esset difficile: se, inquit, ipsum noscere.[4]) Socrates, qui primus philosophiam devocaverat e caelo, per totam vitam id agebat, ut semet ipse nosceret.[5]) Cynicis[6]) denique ac Stoicis sui cognitio fundamentum quasi totius philosophiae erat, quoniam secundum naturam humanam vivere volentes ante omnia ipsi se noscere debebant.

Philosophi, quos veteres tum maxime colebant, saepius imitandi proponuntur ut Zeno in sat. 15, ubi Cantabros corpora non esuros fuisse dicit, si Stoicam disciplinam novissent: v. 106

. . . . melius nos
Zenonis praecepta monent; nec enim omnia, quaedam
pro vita facienda putant; sed Cantaber unde
Stoicus antiqui praesertim aetate Metelli?[7])

Diogenis continentiae sat. 14 mentionem facit: v. 311

Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem.

cf. 14. 308. In eadem satura Socratis et Epicuri[8]) temperantia laudatur: v. 318

edam,
in quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
quantum Socratici ceperunt ante penates.

---

1) Cic. Tusc. I, 1—6. cf. Plut. ed. p. 10. Sen. ep. 53.8.
2) Sen. tr. an. 61.: *Inspicere autem debebimus primum nosmet ipsos* e. qs. ad. Marc. 11.2; ep. 50.5. Epict. D. I. 18.17; II. 21.8 sq. III. 1.18, 22.53. Plut. tr. an. 13 p. 472; in Col. 20. Dio Chr. X 21 sq. p. 163 D. Clem. Al. paed. III. 1. cf. Stob. fl. XXI ps. Plat. Alc. I.
3) T. I. 52.
4) Diog. L. I. 36.
5) Plat. ap. 28 E. cf. Zeller II. 1⁴ 116 sq. (³ p. 102 sq.).
6) E. Weber, st. Lips. X p. 142 sq.
7) Juvenalis hic praeceptum recentioris philosophi Zenoni adscribere videtur. Sed leniter iudicandus hic error: *paucis est ad mentem bonam uti litteris.* Sen. ep. 106.12 (cf. Frdl. ad 15.107).
8) cf. Zeller III. 1 p. 441⁴.

cf. 13.123. Tranquillitatem Socratis, Chrysippi, Thaletis praedicat 13. 183:

quantulacumque adeo est occasio, sufficit irae.
Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis[1])
ingenium dulcique senex vicinus Hymetto etc.[2])

De Heraclito et Democrito etiam Seneca nihil aliud refert nisi quod Juvenalis tr. an. 15. 2,3: *hic enim quotiens in publicum processerat, flebat, ille ridebat. Huic omnia, quae agimus, miseriae, illi ineptiae videbantur.*[3]) cf. Juv. 10. 28—31. *Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter | ridebat, quotiens de limine moverat unum | protuleratque pedem, flebat contrarius auctor?* etc. Ceterum est notabile patronum quoque Cynicorum cum laude in saturis commemorari 10. 360 sq.[4])

Sufficiant ea, quae attuli, ut Juvenalem a philosophiae studio alienum non fuisse probabile fiat. Nec tamen eos locos praeterire licet, ubi noster aliter iudicare videtur. Legimus haec 13. 120: *Accipe, quae contra valeat solatia ferre | is qui nec Cynicos nec Stoica dogmata legit | a Cynicis tunica distantia, non Epicurum | suspicit exigui laetum plantaribus horti.* Ex his versibus nequaquam sequitur, ut ipse scripta philosophorum non legerit neque cognoverit discrimina sectarum. Fingit enim amico a tali homine solatium afferri. Cynicos autem a Stoicis non differre iure dicere potuit, cum illa aetate Stoici *et in aliena castra* transire solerent.[5]) Itaque nihil est, cur ob eos versus Juvenalem parvi aestimasse philosophiam sumamus, quandoquidem paene contrarium sequentia verba docent, quibus amicus cum aegroto homine comparatur: v. 124

curentur dubii medicis maioribus aegri,
tu venam vel discipulo committe Philippi.

---

1) In hoc versu haerent viri doctissimi. Hirzel (Dial. II. p. 63) in eo offendit, quod iuxta Chrysippum ac Socratem Thales laudatur. Jessen (Philol. 47 p. 326) eam difficultatem tollere vult, cum ‚Cratetis' scribat ‚Thaletis' loco. Quae coniectura quamvis loco expedire videatur, supervacua est. Etiam Seneca, qui summum studium navabat philosophiae Zenonem una cum Pythagora nominat brev. v. 14.5. Plutarchus vir philosophiae studiosissimus Platonem, Lycurgum, Epaminondam imitandos proponit prof. virt. 15. (p. 84 F). Itaque noster etiam 2.6 a solita philosophorum dictione nullo modo discrepat, cum nomina Chrysippi et Pittaci sapientis componat. cf. Sen. ep. 7.6, 64.10, 104.21; Plut. prof. virt. 6 p. 78 C, util. in. 11 p. 92 E. Thaletem clementia excellentem fuisse Juvenalis fortasse in collectione quadam apophtegmatum septem sapientium legerat. cf. Stanjek, quaest. de sentent. VII. sapientium collection. Vratisl. 1891. W. Meyer, Abhandl. d. bayr. Akad. XIX. Christ[3], gr. Litt. § 98 Teuffel, Gesch. d. r. L. § 421.

2) cf. Sen. de const. 13. 5. *Respiciamus eorum exempla quorum laudamus patientiam ut Socratis* etc. v. 186 praeclare interpretatus est A. Gercke (Goett. gel. Anz. 1896. p. 973).

3) cf. Lucian. sacr. 15; Sot. ap. Stob. 20. 53 (H. p. 550); Sen. ir. II. 10. 5.

4) v. Mayor, 13 satires of Juvenal Londinii 1872 II p. 175. cf. cap. IX.

5) Sen. ep. 2.5. Etiam Bionis verbis, qui vehementer cum Stoicis rixatus esse fertur (Hense. Tel. LIII; R. Heinze, de Horatio B. im. 30), Seneca quaestiones suas non semel illustrat (Tel. ed. Hense, ind. Bion. p. 92);

Persaepe autem Cynicos eorumque imitatores et successores humana vitia cum morbis et semet ipsos cum medicis contulisse inter omnes constat.[1])

Stoicos denique in satura secunda et tertia[2]) ut simulatores ab eo castigari non mirum est, cum inde a Platone homines vere philosophi eos, qui sapientiae se studere simulabant, sed animos ad aliena applicabant, semper contemnebant; velut Lucianus in dialogo, qui inscribitur piscator, ubi ipse a philosophis summis et maximis se defendentem facit, valde eos perstringit, qui nomine philosophorum indigni sint. Nec minus Epictetus[3]) et Platonicus ille philosophus, qui Nigrinus[4]) vocatur a Luciano et Romae fuit non multo post Juvenalis tempora, mendaces istos acerbis verbis denudabant.

III.

Quemadmodum Juvenalis saturae cum sermonibus philosophorum popularium congruant.

Quoniam his exemplis allatis Juvenalem philosophiae laudatorem satis cognovimus, quaerat quispiam, cui sectae addictus sit. Quaestio est facilis ad diiudicandum. Nec Stoicus nec Cynicus nec Epicureus fuit, cum Pythagoram[5]), Zenonem, Diogenem, Epicurum pariter veneretur. At conspicuum est ei minus quaestiones placuisse, quibus illi tractabant, unde omnia orerentur et quo reciderent, quam exhortationes eorum et virtutes, quibus in vita excellebant. Haec autem vulgaris philosophia apud aequales plerosque invenitur.[6]) Atque etiam ii,

---

eumque etiam plura e sermonibus illius hausisse Henricus Weber demonstrare studuit: de Senecae philosophi dicendi genere Bioneo (Marpurgi 1895). Persaepe etiam Epicurus laudatur (cf. ind. Haase). — De Stoicorum Cynismo cf. Zeller III. 1³ p. 280; Wendland, quaest. Mus. 16 sq. E. Weber, stud. Lips. X, 84 sq., 169—171.

1) cf. Cic. T. IV 23 .. *a Stoicis, maxime a Chrysippo, .. morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* T. III. 1. Sen. ep. 95.14; [Plut.] ed. p. 10; [Luc.] Demon. 7; Epict. III. 23.30 Mus. ap. St. ecl. 2.31 (p. 241 sq. W.). — Wendland q. Mus. 12; Zeller III, 1³ p. 232 annot. 2; II. 1⁴, 332⁴ (³ p. 285³).

2) 2.1 sq. 64 sq. 3.116.

3) D. III. 22; IV. 8; II. 19.18; Gell. n. Att. 17.18.

4) cap. 24 sq. — cf. Cic. T. II. 12; [Luc.] Dem. 48; Plut. 547 E; Dio Chr. LXX. 10, p. 240 sq. XXXII. 9 sq. 15, p. 402. Sen. epp. 51.9; 108.36; 123.15: *Illos quoque nocere nobis existimo, qui nos sub specie Stoicae sectae hortantur ad vitia. Hoc enim iactant solum sapientem esse amatorem ......, quaeramus, ad quam usque aetatem iuvenes amandi sint. Haec Graecae consuetudini data sint.* (cf. Luc. Men. 5. Similiter Cynicos illudit Hermias ap. Athen. 563 D.).

5) 15.171 (cf. 3.229).

6) cf. Sen. ep. 6.5. *Plato et Aristoteles et omnis in diversum itura sapientium turba plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum et Hermarchum et Polyaenum magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit.*

qui Stoicos se nuncupabant ut Seneca et Marcus Aurelius omnes priorum philosophorum difficultates fugiebant et satis habebant sana mente uti ad beate vivendum.[1]) Itaque omnia fere humana in fines philosophiae ducebantur, quod cognoscitur ex verbis Plutarchi personati: educ. puer. cap. X. τῶν δὲ τῆς ψυχῆς ἀρρωστημάτων καὶ παθῶν ἡ φιλοσοφία μόνη φάρμακόν ἐστι. Διὰ γὰρ καὶ ταύτην ἔστι καὶ μετὰ ταύτης γνῶναι, τί τὸ καλόν, τί τὸ αἰσχρόν, τί τὸ δίκαιον, τί τὸ ἄδικον· τί τὸ συλλήβδην αἱρετόν, τί φευκτόν,[2]) πῶς θεοῖς,[3]) πῶς γονεῦσι,[4]) πῶς πρεσβυτέροις, πῶς νόμοις,[5]) πῶς ἀλλοτρίοις, πῶς ἄρχουσι, πῶς φίλοις, πῶς γυναιξί, πῶς τέκνοις,[6]) πῶς οἰκέταις[7]) χρηστέον ἐστίν· ὅτι δεῖ θεοὺς μὲν σέβεσθαι,[3]) γονέας δὲ τιμᾶν, πρεσβυτέρους αἰδεῖσθαι,[8]) νόμοις πειθαρχεῖν,[5]) ἄρχουσι δὲ ὑπείκειν * * φίλους δὲ ἀγαπᾶν,[9]) πρὸς γυναῖκας σωφρονεῖν, τέκνων δὲ στερκτικοὺς εἶναι, δούλους μὴ περιυβρίζειν·[10]) τὸ δὲ μέγιστον μήτε ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖν, μήτε ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν,[11]) μήτε ἐν ταῖς ἡδοναῖς ἐκλύτους εἶναι, μήτε ἐν ταῖς ὀργαῖς ἐκπαθεῖς[12]) καὶ θηριώδεις·[13]) ἅπερ ἐγὼ πάντων τῶν ἐκ φιλοσοφίας περιγινομένων ἀγαθῶν πρεσβύτατα κρίνω. Τὸ μὲν γὰρ εὐγενῶς εὐτυχεῖν, ἀνδρός· τὸ δ' ἀνεπιφθόνως, εὐηνίου ἀνθρώπου· τὸ δὲ τοῖς λογισμοῖς περιεῖναι τῶν ἡδονῶν, σοφῶν· τὸ δὲ ὀργῆς κατακρατεῖν,[12]) ἀνδρὸς οὐ τοῦ τυχόντος ἐστί. cf. Sen. ep. 94. 1. Cum talia philosophi postularent, non iam dubitari potest, quin Juvenalis saturae non multum distent ab eorum admonitionibus. Quod comprobatur Luciani[14]) sermone qui dicitur Nigrinus; nihil fere exstat in hoc dialogo, quod non a Juvenale fusius perlustretur. Seneca quoque ep. 108[15]) philosophos iuventutem erudientes de morte, de fortuna, de contemptu pecuniae, de avaritia, de luxuria, de casto corpore, de sobria mensa disserere solere narrat. Ac probabile est nostrum iis ipsis Graeculis, quibus maledicit in carminibus, multa debere.

In his autem diatribis praeceptores non pepercisse discipulis ex verbis Epicteti apparet D. III. 23,29.[16]) — Declamationibus illis non raro squalidas descriptiones immixtas esse eiusmodi, quales apud Juvenalem reperiuntur (satt. 2. 6. 9), mihi persuasum est, quoniam obscoenitati Cynici saepe moderari non poterant.[17]) At Stoicis quoque placuit suo quamque rem nomine appellare. *Sic enim disserunt: nihil esse obscaenum, nihil turpe dictu* etc.[18]) Quin

---

1) De Arnim, Dio Prus. p. 113.
2) cf. Juv. 10.187 sq. 3) Juv. 13.31 cf. cap. XV. 4) 14.250. 5) 8.91. 6) 14.45 sq. 7) 1.93, 14.16, 126, (9.66). 8) 13.55. 9) 14.235. 10) 6.220. 11) sat. 13. 12) 13.190; sat. 15. 13) 15.51 sq.
14) Luciani dialogos non modo Cynicorum sententias sed etiam reliquorum philosophorum resonare multi viri doctissimi disseruerunt ut E. Weber, stud. Lips. X. p. 188 sq., Hense Tel. rel. XCIII, Praechter, Philol. 51 p. 284, Arch. f. Gesch. d. Philos. XI p. 505. Hirzel, Dial. II p. 328; Fritzsche Luc. II. 2 prol. XXIV.
15) cf. §§ 7, 11, 12, 14. 16) cf. Zeller II. 1⁴ 333 sq.
17) Zeller II. 1³ p. 279 (ed. 4 p. 326).
18) Cic. ep. IX. 22,1 off. I. 128. cf. Diog. L. VII. 187 sq.

etiam Seneca taeterrima Hostiae Quadrae studia ita depingit quaest. nat. I. 16, ut Juvenali nihil cedat.[1])

Quae cum ita sint, Juvenalem nihil aliud consequi voluisse nisi id, quod philosophia vulgaris affectabat, eademque ratione id studuisse apertum est. Plerique enim philosophi tunc optimum esse putabant virtutem exemplis proponendis et adhortationibus docere, ut Seneca saepius Peripateticorum et Stoicorum conclusiones repudiat[2]) ac praecepti illius meminit: ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σαυτὸν καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ.[3]) — Quis est, qui haec legens non videat magnam similitudinem esse saturis nostri cum philosophorum sermonibus?

Quales sint saturae Juvenalis et quomodo intellegendae satis cognovimus. Nunc tempus est eas cum diatribis philosophorum, qui in similia inquirunt, diligentius comparare, ut investigemus quae ratio nostro cum illis intercedat. — Iam incipiamus a morum perversitatibus, quas tum haud raras fuisse omnes historici, philosophi, satirici consentiunt. Itaque Juvenalis quoque facere non potuit, quin prima in satura item ac Persius tot et tanta vitia sceleraque enumeraret, ut numquam homines corruptiores fuisse credas. Utque verba in flagitiis enumerandis rapido cursu Juvenalis fundit, ita Nigrinus philosophus in oratione, quae exstat in Luciani dialogo, animum audientis perturbat omnes istos perditissimos homines, quibus id aetatis urbs abundabat, perlustrans cf. cap. 17: »Τίπτ' αὖτ', ὦ δύστηνε, λιπὼν φάος ἠελίοιο« τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν εὐτυχίαν ἐκείνην καὶ τὴν ἐλευθερίαν »ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς« τὸν ἐνταῦθα θόρυβον, συκοφάντας[4]) καὶ προσαγορεύσεις ὑπερηφάνους[5]) καὶ δεῖπνα[6]) καὶ κόλακας[7]) καὶ μιαιφονίας[8]) καὶ διαθηκῶν προσδοκίας[9]) καὶ ἐπιπλάστους.[10])

Quando uberior, inquit noster, *vitiorum copia?* [11]) Idem fere legimus apud Senecam ep. 51 § 13 . . . *illis* ⟨scil. vitiis⟩ . . . *nec finis est nec modus.* ir. II. 9.1: . . . . . . *Expulso melioris aequiorisque respectu, quocumque visum est, libido se impingit, nec furtiva iam scelera sunt: praeter oculos eunt, adeoque in publicum missa nequitia est* . . . . ., *ut innocentia non rara, sed nulla sit.* cf. ep. 90.19, 75.15 (Oct. vv. 429 sq.). Luc. Nigr. c. 16: Μεσταὶ γὰρ αὐτοῖς τῶν φιλτάτων πᾶσαι μὲν ἀγυιαί, πᾶσαι δὲ ἀγοραί, πάρεστι δὲ πάσαις πύλαις τὴν ἡδονὴν καταδέχεσθαι, τοῦτο μὲν δι' ὀφθαλμῶν, τοῦτο δὲ δι' ὤτων τε καὶ ῥινῶν, τοῦτο δὲ καὶ λαιμοῦ καὶ ἀφροδισίων· ὑφ' ἧς δὴ ῥεούσης ἀενάῳ τε καὶ θολερῷ ῥεύματι πᾶσαι μὲν ἀνευρύνονται ὁδοί·

---

1) cf. Gercke, Seneca-Studien p. 103 (annal. philol. supplem. XXII 1895).
2) ep. 82.8; 83.9,18; 85.1 sq. 87.12. cf. Mus. ap. St. II. 125 (W. p. 243).
3) Demon. fr. 4 (Mullach); cf. Plut. prof. virt. 15. p. 85 A.
4) cf. v. 33. 5) 97 sq. 6) 94,140 sq. 7) 119 sq. 8) 69 sq. 9) cf. 46 sq. 67. 10) cf. cap. 16; Sen. ben. I. 10, 1—4; [Hippocr.] ep. 17.48 sq. [Heracl.] ep. 7.4. 11) 1.87.

συνεισέρχεται γὰρ μοιχεία[1]) καὶ φιλαργυρία[2]) καὶ ἐπιορκία[2]) καὶ τὸ τοιοῦτο φῦλον τῶν ἡδονῶν κ. τ. λ. Eadem videtur locutio et indignatio Nigrini ac Juvenalis. Licet autem ille Platonicum se nominaverit, e verbis, quae Lucianus ei attribuit, nihil aliud efficitur, nisi ut sermo eius vix differat a reliquorum philosophorum popularium.[3]) Quam ob rem non dubito etiam Juvenalem in eorum imitatoribus numerare. Quod ut melius intellegatur, perspiciamus, quomodo singula vitia Juvenalis percurrat. Ac primum quidem contemplemur, quid de divitiarum cupiditate et de avaritia scribat.

IV.

De divitiis contemnendis

permulta tum philosophi disserebant.[4]) Iuvenalis in satura 14, ubi parentum peccata ad liberos transferri disputat[5]), patres vehementer obiurgat, quod iam pueros ad divitias rapiendas incitant. cf. vv. 107 sq.:

Sponte . . iuvenes imitantur cetera[6]), *solam*
inviti quoque avaritiam exercere iubentur. eqs.

123:

Sunt quaedam vitiorum elementa, his protinus illos
imbuit et cogit minimas ediscere sordes;
mox adquirendi docet insatiabile votum.

cf. v. 205:

Illa tuo sententia semper in ore
versetur dis atque ipso Iove digna poeta:
‚Unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere'.
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae[7]),
hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae.

---

1) vv. 36 sq. 55 sq. 77 sq. 2) 88 sq. 117 sq.

2) cf. v. 67. Avaritia et periurium componuntur 13. 34–36.

3) cf. Norden, Beiträge zur Gesch. der griech. Philos. annal. phil. vol. suppl. XIX p. 393. Zeller III. 1.³ 811.

4) Cic. par. VI; Sen. ep. 119; Plut. cup. div. Tel. de paup. et div. (Hense p. 24); Dio Chr. XVII, LXXIX, VII 91 sq. p. 129 D IV 91 sq. p. 80 Lucian. Sat. Theophr. (cf. Cic. off. II. 56). (Clem. Al. quis dives sal. cons. possit.) cf. Stob. fl. 93. (Aristoteles in litteras amplificandas divitias consumendas esse censet. Gercke, Aristot. P.-Wiss. II 1. 1036 3,23.)

5) Comparandi sunt [Plut.] ed. puer. c. 20 (p. 14 A). Iuv. vv. 36—40; 47—57; [Plut.] c. 17, Iuv. v. 46; [Plut.] c. 14: καὶ τῆς αἰσχρολογίας ἀπακτέον τοὺς υἱούς. Iuv. v. 44:

nil dictu foedum visuque haec limina tangat, | intra quae pater est.

Auctorem Chrysippi doctrinam spirare Gudeman comprobavit (Tac. dial. Boston 1894 p. CXIX sq.). — cf. Mayor 13 sat. of Juv. II² 288.

6) cf. Sen. ad Helv. 10. 10; ep. 94. 54. Mirum in modum in hac re consentiunt Iuv. vv. 40 sq. Sen. ep. 97. 10 (cf. [Plut.] c. 17 p. 12 D).

7) cf. Sen. ir. II 21. 9.

cf. vv. 235 sq. Eadem fere legimus apud Plutarchum, qui Diogeni assignat haec verba div. cup. 7 (p. 526 c). Καὶ γὰρ οὓς δοκοῦσι παιδεύειν, ἀπολλύουσι καὶ προσδιαστρέφουσιν, ἐμφυτεύοντες τὴν αὐτῶν φιλαργυρίαν καὶ μικρολογίαν, ὥσπεροῦν τι φρούριον τῆς κληρονομίας. Ταῦτα γάρ ἐστιν, ἃ παραινοῦσι καὶ διδάσκουσι· Κέρδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς.[1]) Τοῦτο δ'οὐκ ἔστι παιδεύειν κ. τ. λ. cf. Sen. ep. 95. 33: *In avaritiam luxuria praeceps est. Honesti oblivio invasit. Nihil turpe est, cuius placet pretium.*[2])

Philosophorum praecepta nihil valere ad puerum sic educatum Plutarchus in eodem sermone exponit. Juvenalis v. 10:

Cum septimus annus,
transierit puerum, nondum omni dente renato,
barbatos licet admoveas mille inde magistros,
hinc totidem, cupiet lauto cenare paratu etc.

Plut. c. 7 . . . οὐ κολοφών, οὐ σφαῖρα, οὐ τραχηλισμός, οὐκ Ἀκαδημία, οὐ Λύκειον · ἀλλ' οἰκετῶν ἀνάκρισις[3]) καὶ γραμματείων ἐπίσκεψις καὶ πρὸς οἰκονόμους ἢ χρεώστας διαλογισμὸς . . . . . κἂν εἴπῃ τις· Οὐκ ἀκούσῃ τοῦ φιλοσόφου; Πόθεν ἐμοί; φησιν κ. τ. λ. cf. Iuv. v. 191:

. . . *pater excitat: »accipe ceras,*
scribe puer, vigila[4]); *causas age, perlege rubras*
maiorum leges.«

Non fortuito evenisse arbitror, ut Plutarchus ac noster ita congruerent cum hanc saturam ad Cynicos vel similes fontes reducendam esse versibus 308—310 fulciri videtur:

dolia nudi
non ardent Cynici; si fregeris, altera fiet
cras domus, atque eadem plumbo commissa manebit.

Ab auctore eiusmodi Plutarchum quoque pendere probabile est.[5])

Avarorum autem liberis parentes odio esse et Cynicus quidam[6]) et Plutarchus narrant. cf. Juv. 14. 244:

Ergo ignem, cuius scintillas ipse dedisti,
flagrantem late et rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
in cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
250 . . . . *iam nunc obstas et vota moraris,*
iam torquet iuvenem longa et cervina senectus.
254 . . . . *medicamen habendum est*
sorbere ante cibum, quod debeat et pater et rex.[8])

1) cf. 3. 143.
2) Sen. ep. 115. 14. cf. Cic. par. 43; Plut. div. cup. 4 (524 D); Dio IV. 95. p. 81 D. 3) cf. 14. 16 sq. 4) Luc. Tim. 14; Dio IV. 92. p. 81 D.
5) De Bione cogitant Hense, Tel. rel. LXIX, Heinze, de Hor. B. imit. p. 18.
6) Stob. fl. 93. 31. De auctore huius diatribae disputavit U. de Wilamowitz M. Antig. Caryst. p. 293 cf. Heinze, de Hor. B. im. p. 18.
7) cf. v. 212. 8) cf. 3. 43.

Plut. cup. div. 7. Οἱ δὲ τῶν φιλαργύρων παῖδες πρὶν ἢ παραλαμβάνειν τὸν πλοῦτον ἀναπίμπλανται τῆς φιλοπλουτίας ἀπ' αὐτῶν τῶν πατέρων.[1]) Καὶ μέντοι τῆς διδασκαλίας καὶ μισθοὺς ἀξίους ἀποτίνουσιν αὐτοῖς, οὐ φιλοῦντες, ὅτι πολλὰ λήψονται, ἀλλὰ μισοῦντες, ὅτι μήπω λαμβάνωσιν. Μηδὲν γὰρ ἄλλο θαυμάζειν ἢ τὸν πλοῦτον μαθόντες,[2]) μηδ' ἐπ' ἄλλῳ τινὶ ζῆν ἢ τῷ πολλὰ κεκτῆσθαι, κώλυσιν τοῦ ἰδίου βίου τὸν ἐκείνων ποιοῦνται καὶ νομίζουσιν αὐτῶν ἀφαιρεῖσθαι τὸν χρόνον, ὅσον ἐκείνοις προστίθησι κ. τ. λ. cf. St. fl. 93. 31 (p. 188 M.) Τέκνα δ' ἐχθρὰ ποιεῖ πατράσιν ἐπιθυμοῦντα τῆς περὶ τὸν πλοῦτον ἐξουσίας, αὐτοῖς δὲ τοῖς τέκνοις τοὺς γονεῖς βαρυτέρους. Quam tritum ac sollemne hoc argumentum sit, hi quoque loci docent: Sen. ir. III. 23,1; ad Helv. 14. 2. Plut. ed. p. 16, Epict. II. 22, 10. Muson. ep. ad Pancr. 6. [Luc.] Cyn. 8 . . . ἐπιβουλεύετε ἀλλήλοις διὰ ταῦτα καὶ φίλοις φίλοι καὶ πατράσι παῖδες καὶ γυναῖκες ἀνδράσιν. cf. Juv. 6. 656 sq. 1. 69 sq. — Avarum ne uxori quidem parcere memorat Ovidius,[3]) cuius versus Seneca laudat ir. II. 9.2:

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti etc.

cf. Juv. 14. 220 *elatam iam crede nurum, si limina vestra*
mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur
per somnum digitis.

Flagitia, ad quae Plutarchi avarus excitatur, omnia a Juvenale commemorantur. Jam nonnulla congero, quae ille de fraude et testamentis supponendis aut captandis,[4]) de sumptu profuso et sordibus explicat cap. 6. Ἑτέρα δέ ἐστιν ⟨φιλοπλουτία⟩ ἡ θηριώδης, συκοφαντοῦσα, καὶ κληρονομοῦσα,[4]) καὶ παραλογιζομένη, καὶ φροντίζουσα, καὶ ἀριθμοῦσα τῶν φίλων ἔτι πόσοι ζῶσιν[5]) κ. τ. λ. cf. Juv. 1. 33, 3. 116. — 4. 18 sq. 5. 138 sq. 12. 93 sq. 14. 237. — 14. 218 (229), 1. 67. — 14. 190, 303 sq. Saepe inter scelera lucri causa commissa veneficia numerantur: 14. 173, 13. 25, 1. 70, 158, 6. 630. cf. Sen. ir. III. 23. 1: *Circa pecuniam plurimum vociferationis est: haec fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus quam legionibus tradit.*[6]) Juv. 14. 173:

Inde fere scelerum causae, nec plura venena
miscuit aut ferro grassatur saepius ullum
humanae mentis vitium quam saeva cupido
immodici census.

Tria illa negotia, quae homines ad divitias colligendas maxime suscipiunt, agricultura, militia, navigatio agitantur vv.

---

1) v. 121, 246.
2) v. 119: *„qui miratur opes, qui nulla exempla beati „pauperis esse putat"* . . . (v. 227) cf. Sen. ep. 115. 11.
3) Metam. I. 146. 4) cf. Cic. par. 39. 43, leg. I 43. Sen. ben. IV. 20. 3.
5) cf. St. fl. 93. 31. p. 189 M. 6) cf. ir. I. 16. 1; ep. 119. 6; fr. 52; const. sap. 7. 4. Cic. off. III. 36. Phil. Iud. spec. leg. III 17 (II. 315).

140—176,[1]) 193—198, 267—283.[2]) Quibus exemplis philosophos in eiusmodi scriptis saepissime uti R. Heinze scite observavit p. 17² [3]) Fundorum possessores, qui agros agris adiciunt, vicinum vel pretio vel iniuria pellentes, a Seneca obiurgantur ep. 90. 39. cf. Juv. 142—160.[4]) Mercatorum navium maria plena esse Plinius[5]) memorat N. h. II. 118: *Immensa multitudo aperto quodcumque est mari hospitalique litorum omnium adpulsu navigat, sed lucri, non scientiae gratia.* v. Juv. 14. 276 sq. cf. [Luc.] Cyn. 8. Sen. ep. 4. 10: *Ut famem sitimque depellas, ... non est necesse maria temptare nec sequi castra.* cf. Juv. 193 sq.[6])

Sordes denique repudiantes Plutarchus et Juvenalis plane conveniunt. Acerbe castigantur quaestuosi thesauros exacervantes, quibus numquam utuntur, cup. div. c. 6. Οὕτω δεῖ μᾶλλον δυσχεραίνειν τῶν δι' ἀσωτίαν τοὺς διὰ μικρολογίαν καὶ ἀνελευθερίαν πονηρούς. Ἀφαιροῦνται γὰρ ἄλλων,[7]) οἷς αὐτοὶ χρῆσθαι μὴ δύνανται[8]) κ. τ. λ. cf. Juv. 14. 135:

Sed quo divitias haec per tormenta coactas,
cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
ut locuples moriaris, egentis vivere fato?[9])

Nec vero quemquam mortem divitis maerere et Juvenalis et auctor, quem Stobaeus excerpit, his verbis exponunt: 1. 44

Hinc subitae mortes atque intestata senectus,
et nova nec tristis per cunctas fabula cenas
ducitur iratis plaudendum funus amicis.

St. p. 188 sq. τελευτήσαντι δὲ οὐ γίγνεται πλουσίῳ πένθος οὔτε παρὰ τῶν διαδεξομένων, ἐπεὶ χαίρουσιν, οὔτε μὴν παρὰ τῶν μὴ λαβόντων, ἐπεὶ μισοῦσιν ὡς ἐκ τοσούτων ἄτιμοι.[10])

Sordidos esurire et sitire malle quam divitias undique collectas minuere atque etiam in suos illiberales se praebere his versibus indicatur: 14. 126

Servorum ventres modio castigat iniquo,[11])
ipse quoque esuriens; neque enim omnia sustinet umquam
mucida caerulei panis consumere frusta eqs.

Plut. div. cup. 5. Σὺ δὲ τοσαῦτα πράγματα ἔχεις καὶ ταράττεις καὶ „στροβεῖς ἑαυτὸν κοχλίου βίον ζῶν“ διὰ τὴν μικρολογίαν καὶ τὰ δυσχερῆ πάντα ὑπομένεις, οὐδὲν εὖ πάσχων κ. τ. λ. Tel. IV[a] (p. 27 Hense)

---

1) cf. Juv. 11. 41. 2) Causidicorum quaestum Juvenalis adicit 14. 192.
3) cf. Norden, ann. phil. XVIII suppl. p. 295. 4) cf. Sen. ep. 87. 7, 89. 20, Ben. VII. 10. 5, ir. I. 21. 2. Cic. par. 46. off. II. 78. Luc. nav. 38. Dio LXVIII. 4 p. 233. 5) ‚Plinii philosophumena' tractavit Lud. Rummler 1862, Gryphiswald. 6) cf. Sen. ep. 68. 11. — Homines avaritia adductos maria navibus adire saepe poetae dolent. Tib. I. 3. 35 sqq. 9. 9 sq.
7) cf. Iuv. 14. 142—160. 8) cf. R. Heinze, de Hor. p. 18 sq.
9) [Luc.] Cyn. 5 πολὺ δὲ ἀθλιώτερον, εἴ τις αὐτὸς ἑαυτὸν ἀποστεροίη πάντων τῶν καλῶν, μανία ἤδη τοῦτό γε σαφής. cf. Tel. p. 28. 4, 27. 11. Luc. Tim. 14. [Ceb.] tab. 39. 10) (cf. Dio XVII. 7. p. 274). 11) cf. 1. 93 (9. 68.)

ἢ τί διαφέρει μὴ ἔχειν τροφὴν ἢ τοιαύτην ἔχειν, ἧς οὐ μὴ γεύσηται, * * * ἰχθῦς καὶ περιστέρια ἢ Αἰγυπτίῳ κύνα ἢ Ἕλληνι κρανίον ἀνθρώπου; ὁμοίως γὰρ σπανιεῖ τροφῆς καὶ ἔχων ταύτην καὶ μὴ ἔχων.[1]) κ. τ. λ. Theophr. char. 30 Τῷ ἀκολούθῳ μεῖζον φορτίον ἐπιθεῖναι ἢ δύναται φέρειν καὶ ἐλάχιστα ἐπιτήδεια τῶν ἄλλων παρέχειν . . . . . Φειδωνίῳ μέτρῳ τὸν πύνδακα ἐγκεκρουσμένῳ μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον τὰ ἐπιτήδεια σφόδρα ἀποψῶν.[2]).

Plura eruimus de illiberalitate e satura quinta et apud Lucianum e libro, in quo agitur de mercede conductis. Summopere illic Iuvenalis divites increpat, qui delicatissimis cibis et potionibus ipsi vescuntur, clientibus autem vilissima proponunt.[3]) cf. 5. 24 sq.:

Qualis cena tamen! Vinum quod sucida nolit
lana pati etc.
30 *Ipse capillato diffusum consule potat.*
60 . . . . . *nescit tot milibus emptus*
pauperibus miscere puer . . . . . .
. . . . . *quando ad te pervenit ille*
quando rogatus adest calidae gelidaeque minister?
80 *Aspice, quam longo distinguat pectore lancem,*
quae fertur domino squilla etc.
85 *sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo*
ponitur, exigua feralis cena patella eqs.
114 *Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par*
altilis, et ,flavi dignus ferro Meleagri'
spumat aper eqs.
166 . . . . . *ecce dabit iam*
semesum leporem atque aliquid de clunibus apri;
ad nos iam veniet minor altilis'. Inde parato
intactoque omnes et stricto pane tacetis.

Non aliter philosophi domestici in Luciani sermone tractantur: merc. cond. c. 26. Καὶ οὕτως ἐς τὴν ἀτιμοτάτην γωνίαν ἐξωσθεὶς[4]) κατάκεισαι μάρτυς μόνον τῶν παραφερομένων, τὰ ὀστᾶ εἰ ἐφίκοιτο μέχρι σοῦ, καθάπερ οἱ κύνες παριεσθίων . . . . . Οὐ μὴν οὐδὲ ἡ ἄλλη ὕβρις[5]) ἄπεστιν, ἀλλ' οὔτε ᾠὸν ἔχεις μόνος[6]) — οὐ γὰρ ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ σὲ τῶν αὐτῶν ἀεὶ τοῖς ξένοις καὶ ἀγνώστοις ἀντιποιεῖσθαι . . . . οὔτε ἡ ὄρνις ὁμοία ταῖς ἄλλαις[7]), ἀλλὰ τῷ μὲν πλησίον παχεῖα καὶ πιμελής, σοὶ δὲ νεοττὸς ἡμίτομος[8]) ἢ φάττα τις ὑπόσκληρος, ὕβρις ἄντικρυς καὶ ἀτιμία[5]) . . . . τεμνομένου μὲν γὰρ ἐν τῷ μέσῳ ἢ συὸς

---

1) cf. Tel. 24. 9 Οὕτως ἔνιοι πολλῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς δι' ἀνελευθερίαν οὐδενὸς γεύονται οὐδὲ ἅπτονται. ἀλλὰ πλείω οἱ μῦς κατεσθίουσι καὶ οἱ μύρμηκες ἢ αὐτοί. 2) Licet characteres ab ipso Theophrasto, Bionis praeceptore, ita non sint compositi, ut memoriae proditi sunt, eos eius sententiarum plenos esse non est negandum.

3) Mus. Περὶ τροφῆς ap. St. 18. 37. p. 525. 16 . . . ἁμαρτάνει . . . ὁ μὴ νέμων τὰ ἴσα τοῖς συνεσθίουσιν. 4) cf. Iuv. 5. 17. 5) 5. 156. sq. 120.

6) 84. 7) 114 sq. 8) (cf. v. 167.)

ὑπογαστρίου[1]), ἢ ἐλάφου, χρὴ ἐκ παντὸς ἢ τὸν διανέμοντα ἵλεων ἔχειν ἢ τὴν Προμηθέως μερίδα φέρεσθαι ὀστᾶ κεκαλυμμένα τῇ πιμέλῃ .... Καίτοι οὐδέπω ἐκεῖνο ἔφην, ὅτι τῶν ἄλλων ἥδιστόν τε καὶ παλαιότατον οἶνον[2]) πινόντων μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν[3]) πίνεις, θεραπεύων ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος οὕτως ἄτιμος ὢν ξυμπότης .... ὁ παῖς »οὐδ' ἀΐοντι ἔοικεν«[4]) κ. τ. λ. cf. Luc. Sat. 17, 22, 32. — (Nigr. 22).[5])

Officia meritaque doctorum ab avaris hominibus praemio non affici identidem noster in satura septima queritur.[6]) Utque hic dives avarus dona exigua causidico imputat[7]) et filii praeceptorem parvula summa oblata dimittit, sic in Luciani dialogo philosopho, qui liberos domini erudit, ob beneficia nonnulla accepta merces minuitur.[8]) cf. 7. 187

... Res nulla minoris
constabit patri quam filius.

Operae pretium esse mihi videtur comparare, quae Plutarchus personatus de Aristippo narrat ed. puer. c. 7: ... Ἀρίστιππος .... ἀπέσκωψε ... πατέρα. Ἐρωτήσαντος γάρ τινος αὐτόν, πόσον αἰτοίη μισθὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ τέκνου παιδεύσεως, Χιλίας, ἔφησε, δραχμάς. Τοῦ δέ, Ἡράκλεις, εἰπόντος, ὡς ὑπέρπολυ αἴτημα· δύναμαι γὰρ ἀνδράποδον χιλίων πρίασθαι κ. τ. λ.[9]) A divitibus cenas amicitiae fructus haberi his verbis noster perstringit: 5. 14.

Fructus amicitiae magnae cibus, imputat hunc rex
et quamvis rarum, tamen imputat.

cf. Sen. tr. an. 7. 2: „*Athenodorus ait, ne ad coenam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro hoc debiturus sit. Puto intellegis multo minus ad eos iturum, qui cum amicorum officiis paria mensa faciunt, qui fericula pro congiariis numerant*“ *etc.* Etiam a Plutarcho illiberalitas reprehenditur cup. div. 5. Σὲ δ' οὐκ ἄν τις, ὦ κακόδαιμον, θαυμάσειεν, εἰ δυνάμενος οὕτω ζῆν ἀνελευθέρως καὶ ἀπανθρώπως καὶ ἀμεταδότως καὶ πρὸς φίλους ἀπηνῶς κ. τ. λ. cf. Juv. 14. 235:

cum dicis iuveni stultum, qui donet amico,
qui paupertatem levet attollatque propinqui etc.[10])

---

1) 115 sq. 2) 30 cf. Sen. vit. beat. 17. 2. 3) 24. 4) 5. 60 sq.
5) cf. Mayor, 13 sat. of. Juv. 1[2] p. 244.
6) 22 sq. 86 sq. 158 sq. a. pl. 7) cf. Crat. ap. Diog. L. VI. 86.
8) Luc. merc. cond. 19. cf. Iuv. 7. 115 sq. (5. 14)
9) Respice quaeso, id quod viri doctissimi animadverterunt, permulta illum auctorem e Bione sumpsisse Hense Tel. rel. LXVI (cf. cap. 10). — Etiam verba antecedentia et sequentia perlegenda sunt.
10) cf. Iuv. 3. 209, 5 32, 107 sq. — Quantopere hic quoque Iuvenalis cum philosophis congruat, haec una sententia satis demonstrat quae apud omnes fere vulgaris est: κοινὰ τὰ τῶν φίλων. De beneficentia ac de liberalitate multa egerunt Seneca et Cicero off. II. 52 sq. Laudat II. 56 *liberales .... qui aes alienum suscipiunt amicorum aut ... opitulantur in re vel quaerenda vel augenda.* cf. off. I. 68. Sen. d. mor. lib. 50: *Succurre paupertati amicorum, immo occurre.* cf. ep. 48. 8; 95. 51; ben. VII. 12. 1.

Avidos novas divitias appetere numquam desinere sententia tam trita est, ut non mireris, quod etiam in hac re ambo concordant. v. 328:

Nec Croesi fortuna umquam nec Persica regna
sufficient animo nec divitiae Narcissi etc.[1])

cf. Plut. cap. 4 ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῆς φιλαργυρίας ἴδιον· ἐπιθυμία γάρ ἐστι μαχομένη πρὸς τὴν αὐτῆς πλήρωσιν. (cf. cap. 2). [Tel.] St. fl. 93. 31 (M. p. 187) κόρον δὲ οὐκ ἔχει τοῖς κτησαμένοις κ. τ. λ.[2])

Postremo legimus apud Plutarchum et in Stobaei florilegio, quantas curas custodia divitiarum possidentibus afferat. Id quoque invenies hac in satura:

303 *Tantis, parta malis cura maiore metuque*
servantur; misera est magni custodia census etc.[3])

cf. Plut. c. 5 .... κακοπαθεῖς καὶ ἀγρυπνεῖς καὶ ἐργολαβεῖς κ. τ. λ. cap. 7 .... καὶ ἀσχολία καὶ φροντὶς ἀφαιρουμένη τὸ ἄριστον καὶ συνελαύνουσα νυκτὸς εἰς τὸ βαλανεῖον. — Stob. fl. 93. 31 (M. p. 187): Ὁμοῦ δ'ἀγαθὸν μὲν οὐκ ἔστιν ὁ πλοῦτος, φθόνον δὲ ἀγαθῶν μεγίστων ἔχει· μυρίαι δ'ἐπιβουλαὶ δι' αὐτὸν ἐκ βασιλέων, ἐξ ὁμόρων, ἀπ' οἰκείων. Οὐκ ἔχει δέ τις πλουτῶν ἀσυλίαν ἰδίου βίου κ. τ. λ.[4])

Quid quod exemplum illud, quod narratur vv. 59 sq., paululum declinatum exstat in Plutarchi sermone! Menelaus increpatur cap. 9: Τί λέγεις, ἀβέλτερε; τῆς γυναικὸς ὀφείλων παρελεῖν τὴν πορφύραν καὶ τὸν κόσμον, ἵνα παύσηται τρυφῶσα και ξενομανοῦσα, τὴν οἰκίαν καλλωπίζεις ὡς θέατρον ἢ θυμέλην τοῖς εἰσιοῦσι; Noster divites insectatur, quod hospitibus domum exornantes salutem liberorum neglegant:

59. *Hospite venturo cessabit nemo tuorum.*
‚Verre pavimentum, nitidas ostende columnas'
64. ..... *ergo miser trepidas, ne stercore foeda canino*
atria displiceant oculis venientis amici ....
68. *Illud non agitas, ut sanctam filius omni*
aspiciat sine labe domum vitioque carentem?

Sententia exempli apud utrumque eadem est, cum et Juvenalis et Plutarchus eos notent, qui curant, ut domus ipsa pura sit, domum habitantes ut puro animo sint, non curant.

Accuratius Juvenalis saturam sermonemque Plutarchi comparans et saepius ambos conspirare atque etiam locutionem Bioneae similem esse deliberans puto non temere hoc conicere mihi licere similitudines

---

1) cf. 14. 138.
2) cf. Cic. par. VI. Sen. ep. 119. 6,9. Phil. de fort. 3. (II 377). [Luc.] Cyn. 8. (Varro Men. fr. 126).
3) cf. Juv. 10. 12–27.
4) cf. Plut. superst. 1 (tranq. an. 13 p. 472c) Sen. ep. 115. 16, ep. 87. 22, brev. vit. 2 4; Luc. Sat. 26; Dio XVII. 18. p. 277 D.

ex eodem fonte fluxisse. Quem Bionem redolere Ricardo Heinze[1]) assentior. Nec vero dubitandum est, quin etiam multi alii philosophi nec non satirici, cui sua Plutarchus debere videtur, sententias non paucas repetiverint. Qua re facile fieri potuit, ut Bioneae reliquiae in Juvenalis quoque carmen penetrarent. — Quando quidem paulum aberravimus, ut enuclearemus, qui conexus esset inter hanc saturam sermonemque Plutarcheum non inutile esse mihi videtur etiam cum fine capitis octavi eam saturae partem[2]) componere, in qua tempus peractum laudatur. Qui consensus mihi est testimonium, quod docet in eiusmodi disputationibus laudem maiorum non modo poetis sed etiam philosophis locum quasi communem fuisse.[3]) Restat ut hoc moneam utriusque sermonis epilogos summa temperantiae et philosophiae laude absolvi.

V.

De temperantia

quae paene numquam non confertur cum avaritia tritissimas sententias noster profert 14. 316 sq.

. . . . mensura tamen quae
sufficiat census, si quis me consulat, edam:
in quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
quantum Socratici ceperunt ante penates.

cf. 14. 181; 3. 228; 5. 6. Quam sollemnis haec sententia fuerit, Wendland multis exemplis monstravit.[4]) cf. Sen. ep. 119. 7. ‚*At parum habet, qui tantum non alget, non esurit, non sitit*'. . . . . . *Numquam parum est, quod satis est* eqs.[5]) Ut homines eis vescantur, quae in agris hortisque crescant, non modo Pythagorei aut Epicurei[6]) sed etiam alii philosophi postulant. Epicuri hortuli laudantur a Seneca ep. 21. 10. *Non irritant, inquit, hi hortuli famem, sed exstinguunt. Nec maiorem ipsis potionibus sitim faciunt, sed naturali et gratuito*

---

1) de Hor. B. im. 18 sq.
2) 14. 161–189.
3) Juv. 3.311 sq., 11.77–119., 8.98. cf. Cic. par. 50; Sen. ad Helv. 10.7 sq. ben. II. 6. 2. (Varro Men. fr. 495 sq. 524 sq. cf. R. Weise, vindiciae Juvenalianae, Halis 1884 p. 13 sq.). cf. Praechter, Hier. d. St. p. 39 sq.
4) Wendland, Philo und die kyn. stoische Diatribe (Beiträge zur Gesch. d. griech. Philos. u. Religion von Wendland u. Kern 1895) p. 10 sq.
5) cf. Sen. ep. 4. 10, ad. Helv. 10. 2, tr. an. 9. 2. Xen. mem. I. 3. 6. Tel. p. 4/5, 30. 12. Mus. ap. St. 40. 9 (H. p. 751. 12.) Phil. vit. cont. 4 (II. 477.) Plut. d. coh. ir. 13 p. 461. 6) cf. Stob. fl. 17.33. (H. p. 501. 12.) D. L. X. 130 sq.

remedio sedant.[1]) — Socratis temperantiam efferunt post Platonem 220A et Xen. mem. II. 1. I. 2.1, 3.5, 6.2. Cic. Tusc. V. 97. Sen. ep. 104. 27. Simplex convivium et maiorum frugalitas a Juvenale lepide describitur 11. 56 sq. (cf. 14. 170 sq.). Omnia fere, quae hic noster multis verbis profert, Seneca breviter memorat tr. an. 1. 6 sq. *Placet cibus, quem nec parent familiae nec spectent, non ante multos imperatus dies nec multorum manibus ministratus, sed parabilis facilisque,*[2]) *nihil habens arcessiti pretiosive,*[3]) *ubilibet non defuturus, nec patrimonio nec corpori gravis, non rediturus qua intraverit. Placet minister incultus et rudis vernula,*[4]) *argentum grave rustici patris*[5]) *sine ullo nomine artificis,*[6]) *et mensa non varietate macularum conspicua nec per multas dominorum elegantium successiones civitati nota, sed in usum posita,*[7]) *quae nullius convivae oculos nec voluptate moretur nec accendat invidia*" etc. cap. 9. 2 *Discamus membris nostris inniti, cultum victumque non ad nova exempla, sed ut maiorum mores suadent*[8]) eqs. cf. Juv. 14. 160 sq. 11. 82 sq.

Iterum atque iterum summa mediocritas in supellectile utenda postulatur[9]): Muson. περὶ σκευῶν ap. St. 85. 20 (M. p. 147) καὶ σπουδάζεται ταῦτα πάντα, τοῦ μὲν σκίμποδος οὐδὲν κακίω παρεχομένου κατάκλισιν ἡμῖν τῆς ἀργυρᾶς . . . . κλίνης, τῆς δὲ σισύρας ἱκανωτάτης οὔσης ὑπεστρῶσθαι, ὥστε μὴ δεῖσθαι πορφυρίδος[10]) . . . . ἐσθίειν δ' ὑπάρχοντος ἡμῖν ἀβλαβῶς ἀπὸ τραπέζης ξυλίνης . . . καὶ πίνειν . . . ἐκ κεραμέων ποτηρίων παρόν κ. τ. λ.[11])

cf. Juv. 11. 96: . . *nudo latere et parvis frons aerea lectis.*
108 *ponebant . . Tusco farrata catino.*
117 *Illa domi natas nostraque ex arbore mensas*
tempora viderunt.
145 *Plebeios calices et paucis assibus emptos.*

cf. Juv. 3. 168, 10. 25, 11. 20.

Eos quos non pudet turpissimas contumelias pati omniaque moliri, ut ad cenas divitum invitentur, Juvenalis acriter incusat in satura quinta. Iidem a Nigrino ac Seneca carpuntur ep. 4. 10 *Ut famem sitimque depellas non est necesse superbis adsidere liminibus nec supercilium grave et contumeliosam etiam humanitatem perpeti.* cf. Juv. 5. 1 sq.

Si te propositi nondum pudet atque eadem est mens,
ut bona summa putes aliena vivere quadra eqs.

---

1) cf. Sen. ep. 108, 21 sq. 110. 12. Chrys. de Arn. Stoic. vet. fragm. III. 706. Tel. p. 4. 9; 30. 10. Mus. ap. St. 17. 42 (H. p. 504. 2.) Plut. de esu carn. Phil. spec. lg. 5 (p. 273); somn. II 7 (665). Clem. Al. paed. II. 11.
2) cf. 11. 65 sq. 3) 11. 138 sq. 4) 143 sq. 5) 14. 167.
6) 11. 101 sq. 7) 11 117 sq. 8) cf. Sen. ad. Helv. 10. 7 sq.
9) cf. Wendland, Philo etc. p. 29. 10) cf. 14. 186 sq.
11) cf. [Diog.] ep. 37. 4 Sen. ep. 5. 6; 95. 72; 98. 13.

9\. . . . . . . *tantine iniuria cenae?*
tam ieiuna fames? cum possit honestius illic
et tremere et sordes farris mordere canini?[1])

Luc. Nigr. 22. γέρας δὲ τῆς πικρᾶς ταύτης αὐτοῖς περιόδου τὸ φορτικὸν ἐκεῖνο δεῖπνον καὶ πολλῶν αἴτιον συμφορῶν, ἐν ᾧ πόσα μὲν ἐμφαγόντες, πόσα δὲ παρὰ γνώμην ἐμπιόντες, πόσα δὲ ὧν οὐκ ἐχρῆν ἀπολαλήσαντες . . . . ἀπίασιν κ. τ. λ.[2])

VI.

De luxuria.

Venio nunc ad sumptuosos divites luxuriae indulgentes. De cenarum luxu[3]) insipido pauca supra commemoravi,[4]) reliqua nunc disseram. Vehementer Juvenalis eos odit, qui artem edendi et bibendi plurimi aestimantes[5]) patrimonium totum comedunt[6]) et coquum maiore mercede quam filii praeceptorem dignum iudicant: 5. 120

Structorem interea, nequa indignatio desit,
saltantem spectes et chironomunta volanti
cultello, donec peragat dictata magistri
omnia; nec minimo sane discrimine refert,
quo gestu lepores et quo gallina sectetur.

cf. 11. 136 sq.

Vide quantopere Seneca artifices illos eorumque admiratores spernat: br. v. 12. 5. . . . . . *quam suspensi sint, quomodo aper*

---

1) cf. 5. 170 sq.

2) Clientes ridet Nigrinus, qui patroni salutandi causa nocturnam quietem sibi adimant, cap. 22: πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοὶ καὶ θεραπεύοντες γελοιότεροι, νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν . . . . . . cf. Juv. 5. 19, 76 (Sen. brev. 14. 4.) *Exclusorum clientium turba referta vestibula*, (Sen. ad. Marc. 10. 1) quae Juvenalis despicit, Seneca praeterire iubet ep. 84. 12: *Intueris illas potentium domos, illa tumultuosa rixa salutantium limina? Multum habent contumeliarum, ut intres, plus cum intraveris. Praeteri istos gradus divitum et magno adgestu suspensu vestibula* eqs. (ep. 68. 10; const. 14. 2) ⟨ cf. Luc. Men. 12 ⟩ cf. Juv. 5. 12 sq. 1. 95.

Nunc sportula primo
limine parva sedet turbae rapienda togatae.
Ille tamen faciem prius inspicit et trepidat, ne
suppositus venias ac falso nomine poscas etc.

cf. Sen. ad. Pol. 4. 2.

3) cf. Wendland. Philo etc. p. 18 sq. Uberius et facetius hanc materiam Petronius tractavit.

4) p. 13. sq.

5) Juv. 4. 139 sq. 11. 10, 14. 6 sq. cf. Luc. Nigr. 33; Sen. ad Marc. 22. 2.

6) 4. 15. 11. 15 sq. cf. Sen. ep. 95. 41, ben. I. 10. 2. Nigr. 33.

a coquo exeat,[1] *qua celeritate signo dato glabri ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia* eqs. ep. 47. 6: *Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet* etc.[2] ep. 95. 23 *Coquos numera. Cessat omne studium et liberalia professi sine ullo frequentia desertis angulis praesident. In rhetorum ac philosophorum scholis solitudo est.* cf. Juv. 7. 184:

Quanticumque domus, veniet qui fercula docte
componat, veniet qui pulmentaria condit.
Hos inter sumptus sestertia Quintiliano,
ut multum, duo sufficient.[3]

Pueros iam et adulescentulos pravo parentum exemplo corruptos easdem artes mirari discere similiter ac Juvenalis Plutarchus personatus conqueritur ed. puer. cap. 7 ὅταν γὰρ εἰς ἄνδρας ἐγγραφέντες τοῦ μὲν ὑγιαίνοντος καὶ τεταγμένου βίου καταμελήσωσιν . . . . οἱ δὲ κατοψοφαγοῦσιν. cf. Mus. ep. ad Pancr. 4 . . . . ἀρετῆς δὲ καὶ εὐσχημοσύνης βίου ἀντιποιούμενος οὐκ ἂν ἐθελήσειας ὁρᾶν τοὺς σεαυτοῦ παῖδας εὐτάκτους μὲν ἐν ἐδωδαῖς καὶ πόσεσι κ. τ. λ.[4]) Juv. 14. 10

cum septimus annus
transierit puerum, nondum omni dente renato
. . . .
. . . . *cupiet lauto cenare paratu*
semper et a magna non degenerare culina.

Prima in satura in eos invehitur, qui nihil amicis non invidentes secreto obliguriunt: 1. 93.

. . . . . *Quis fercula septem*
secreto cenavit avus?

cf. 1. 136 sq. Hanc consuetudinem etiam Epicurus vituperat apud Senecam ep. 19. 10: *Ante, inquit* (Ep.), *circumspiciendum est, cum quibus edas et bibas. Nam sine amico visceratio leonis ac lupi vita est.* cf. Luc. ep. Sat. 34. Nec minus eos exagitat, qui cum centum convivis luxuriose epulantur.[5] Centesimi cuiusdam convivae etiam Seneca non sine indignatione mentionem iniicit[6] atque alio loco[7] laudat parvum amicorum ad cenam venientium numerum. Idem suadet Plutarchus quaest. conv. V. 5. 2,9.[8] — Tumultum autem talium epularum Juvenalis ac Seneca pari modo

1) 5. 116.
2) cf. Sen. ep. 114. 26, 122. 16. de vit. beat. 17. 2; ex scriptis Philonis Judaei plura affert Wendlaud p. 20. Clem. Al. paed. III. 26. Clementis librum cum diatribis Musonianis aptissime cohaerere diserte comprobavit Wendland quaest. Mus. De ea re Hirzel dubitat Dial. II. 242.4
3) cf. Plin H. N. IX. 67.
4) cf. Plut. aud. poet. c. 1 p. 14 F. (Varro ap. Gell. 4. 19).
5) 3. 250. 6) de ira II. 33. 4. 7) ep. 64. 1 cf. tr. an. 9. 3.
8) Quid Varro de numero convivarum iudicaverit, Gellius narrat 13. 11.

describunt. cf. ep. 114. 25. *Adspice culinas nostras et concursantes inter tot ignes coquos nostros.* (ep. 78. 22). Juv. 3. 250.

Centum convivae, sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
impositas capiti, quae recto vertice portat
servulus infelix et cursu ventilat ignem.

De affluentia ciborum conquisitissimorum Juvenalis indignatur 1. 94 (cf. p. 17); 5. 11, 120 sq. 14. 7 sq. Idem invenies apud Senecam[1]) et Philonem Iudaeum, qui cum nostro mirum in modum conspirat.[2]) Ad Juv. sat 1. 94 bene haec quadrant: vit. cont. 6. Ἑπτὰ γοῦν καὶ πλείους εἰσκομίζονται τράπεζαι, πλήρεις ἁπάντων ὅσα γῆ τε καὶ θάλαττα καὶ ποταμοὶ καὶ ἀὴρ φέρουσιν, ἔκλογα πάντα καὶ εὔσαρκα, χερσαίων, ἐνύδρων, ἀεροπόρων, ὧν ἑκάστη διαλλάσσει καὶ ταῖς παρασκευαῖς καὶ ταῖς παραρτύσεσιν.[3]) Conferas velim hos versus:

5. 94. *Et iam defecit nostrum mare, dum gula saevit*
retibus assiduis penitus scrutante macello
proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem. etc.
11. 14. *Interea gustus elementa per omnia quaerunt* eqs.

Idem fere praebet Seneca ep. 89. 22: *quorum profunda et insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras.* ep. 95. 14 *luxuria, terrarum marisque vastatrix.* Hic unus est ex locis popularium philosophorum communibus, qui undique vituperant, quod homines vescendi causa aërem et omnia maria terrasque perquirant.[4])

Nec tamen Juvenalem, ubicumque elegantiam epularum insectatur, e Graecis aut Romanis philosophis pendere verisimile est, cum multa ipse videre et audire posset, multa sumere ex Horatio[5]) et rerum scriptoribus. Etiam Varronem in satura, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, peregrina ciborum genera similiter ac Juvenalem in satt. 5 et 11 reprehendisse e loco a Gellio exscripto accepimus.[6]) Sed quibus ex fontibus hauserit indagare mea non tam interest quam monstrare nostrum eadem ac philosophos populares disserere. Principales autem fontes semper apud Graecos ac plerumque apud eorum philosphos quaerendi sunt. Quae in diatribis disputabant philosophi, ea satirici Romani versibus includebant. Utque Lucretius Epicuri dogmata poetica oratione docebat, ita Juvenalis philosophiae

---

1) cf. ep. 122. 3.
2) Ph. de v. cont. II 479 cf. Juv. 11. 120 sq.
3) cf. Sen. 95. 27; N. Q. IV. 13. 6. Perict. ap. Stob. 85. 19 (p. 145. 19) Clem. paed. II. 2 sq.
4) Sen. ad Helv. 9. 9; 10. 3 sq. de prov. 3. 6. Mus. ap. St. 18. 37 (H. p. 528. 2) Clem. paed. III. 10 (cf. II. 115) cf. Wendland, quaest. Mus. p. 26 Philo etc. p. 18 sq. [Luc. Phars. 4. 373 sq. 10. 155 sq.]
5) cf. Hor. sat. II. 2. 15 sq.
6) Gell. N. Att. IV. 16.

vulgaris et laudes virtutum et vitiorum vituperationes versificabat. Itaque non mirum est eum simili modo ac Senecam luxuriam cenarum[1]) castigare. cf. Juv. 11. 14.

. . . . gustus . . . . . quaerunt
numquam animo pretiis obstantibus; interius si
attendas, magis illa iuvant, quae pluris emuntur.
Ergo haut difficile est perituram arcessere summam. eqs.

Perversitatis eorum, qui bonitatem ciborum pretio et raritate metiuntur, Seneca mentionem habet ad Helv. 10. 5: *O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! Pretiosos autem non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo sed raritas et difficultas parandi facit* etc.[2]) Ne molestus sim tot locis congerendis, gulae irritamenta, quae plurimi putantur a ganeonibus, omnia singulatim enumerare nolo, quamquam eadem a Seneca aliisque philosophis commemorari ipse observavi. Catalogis ciborum, qui exstant in quinta satura et undecima (vv. 121, 175 sq.), simillimi sunt Luc. nav. 23, Clem. paed. II. 3. — Sumptuosum olei usum destringit noster 5. 86.

Ipse Venafrano piscem perfundit.

A Seneca luxuriae dediti *homines inter oleum et vinum occupati appellantur* ep. 75. 3.[3])

Philosophos conviviorum luxum impugnantes etiam potionum delicias exprobrare consentaneum est. Seneca: *Adspice*, inquit, ep. 114. 26,[4]) *veteraria nostra et plena multorum saeculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina cluduntur?* eqs.[5]) Idem morem vituperat vini refrigerandi glacie vel nive immixta ep. 78. 22: *O infelicem aegrum! Quare? quia non vino nivem diluit; quia non vigorem potionis suae quam capaci scypho miscuit, renovat fracta insuper glacie?*[6]) cf. Juv. 5. 49 sq.

Si stomachus homini fervet vinoque citoque,
frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

Edacitatem[7]) et ebrietatem[8]) virorum ac mulierum, qui

---

1) De hac materia Chrysippus quoque disseruisse videtur cf. Gell. VI. 16.

2) cf. Sen. ep. 95. 41; 122. 14, 18. Luc. Nigr. 33. Clem. paed. II. 115. [Plin. 4. 15, 26, 9. 67. Favor. or. ap. Gell. 15. 8.]

3). cf. Phil. de somn. II. 8.

4) Plura invenies sub voce vini in indice editionis a Friderico Haase factae.

5) Juv. 5. 30 sq. (cf. pag. 13 sq.) 4. 138, 6. 150, 300 sq. 425 sq. 9. 58, 116. 13. 214 sq.

6) cf. Sen. ep. 95. 25; Q. N. IV. 13. 3—11; prov. 3. 13. Plut. de coh. ira 13.

7) Ut Seneca ep. 95. 16 sq. intemperantiam sic noster eius gulam castigat, qui *sibi totos ponit apros.* 1. 40. (cf. 1. 94, 8. 85) cf. Sen. ep. 60. 3.

8) Ebrietatem Stoici inde a Zenone impugnabant (cf. Sen. ep. 83). Μυρίας γὰρ ἀπολελοίπασι συντάξεις ἐπιγράψαντες περὶ μέθης. Philo plant. 42. (I. 356);

vomunt, ut edant, edunt, ut vomant,[1]) acerbe Juvenalis reprehendit:
11. 174

. . . . *Ille fruatur*
vocibus obscenis omnique libidinis arte,
qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.

6. 425 . . . *tandem illa venit rubicundula, totum*
oenophorum sitiens. . . . .
429. *dum redit et loto terram ferit intestino.*
Marmoribus rivi properant, aurata Falernum
pelvis olet; nam sic tamquam alta in dolia longus
deciderit serpens, bibit et vomit. eqs. cf. 9. 116.

Sen. ep. 95. 21. *Non minus* ⟨feminae⟩ *pervigilant,*[2]) *non minus potant, et oleo et mero viros provocant. Aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt et vinum omne vomitu remetiuntur.*[3]) cf. fr. 65. Omnes denique pudicitiae leges a vinolentis laedi illustratur versibus 6. 314 sq. 300 sq. cf. Sen. ep. 83. 20. — Ab ebriis facile adversarios victoriam reportare Juvenalis dicit 15. 47:

Adde, quod et facilis victoria de madidis et
blaesis atque mero titutantibus.[4])

cf. Sen. ep. 83. 22. *Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas; haec acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit . . . . haec invictos acie mero domuit.*

Rixas convivarum vinolentorum, quales noster non illepide describit 5. 26 sq. Seneca adumbrat ep. 83. 20. Juv.

Jurgia proludunt, sed mox et pocula torques
saucius et rubra deterges vulnera mappa,
inter vos quotiens libertorumque cohortem
pugna Saguntina fervet commissa lagona.

Sen. *Tunc* ⟨scil. si ebrius est⟩ *petulans non linguam, non manum continet.*[5])

Etiam turbulentius convivium est, quod Philo narrat de vit. cont. 5, et magis convenit ad sat. 15, ubi describitur, quomodo incolae oppiduli Aegyptii civitatem finitimam *tempore festo* cenantem opprimant. Satis est hos versus comparare:

---

ipse περὶ μέθης scripsit I. 357 sq. (cf. v. Arnim, p. 101, Philol. Unters. XI, Quellenstud. zu Philo 1888.) Antea eam materiam tractaverat Antisthenes (D. L. VI. 18). Sen. ep. 83, 9–27. Clem. paed. II. cap. 2. (Plut. de garrul. 4). Plin. 14 cap. 22. 1) Sen. ad Helv. 10. 3 cf. Cic. fin. II. 23.

2) cf. 6. 302, 309; 11. 187.

3) cf. Clem. paed. II. 33. — Vinolentae feminae ab Aristophane aliisque comicis in scenam producuntur, ut non miremur hoc argumentum in philosophorum quoque diatribis inveniri. Irrisoria enim poesis et philosophia anguste inter se conexae sunt, quod optime e Theophrasti personati characteribus patet. cf. M. Aur. XI. 6. (Sen. brev. v. 12. 8.)

4) cf. Sen. de ira II. 28. 8. I. 13. 3. 5) cf. Sen. ep. 95. 16.

54. . . . . *Paucae sine vulnere malae,*
vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
integer. Aspiceres iam cuncta per agmina vultus
dimidios, alias facies et hiantia ruptis
ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos. . .

cf. Phil. II. 478. Ἐπανιστάμενοι ⟨scil. ἀπὸ τοῦ δείπνου⟩ δάκνουσιν ἀλλήλους καὶ ἀποτρώγουσι ῥῖνας, ὦτα, δακτύλους, ἕτερ' ἄττα μέρη τοῦ σώματος, ὡς τὸν ἐπὶ Κύκλωπος καὶ τῶν Ὀδυσσέως ἑταίρων μῦθον ἀποδεδειχέναι τούτους ἀληθῆ, »ψωμούς«, ᾗ φησιν ὁ ποιητής, ἐπεσθίοντας »ἀνδρομέους«, καὶ ὠμότερον ἢ ἐκεῖνος.[1])

Parvum est discrimen, quod in Juvenalis satura epulantes ab infestis vicinis occupantur, in Philonis autem sermone convivas ipsos inter se rixantur et saeviunt. Mea enim sententia et Philo et noster maxime in animo habent ostendere, quantas ad crudelitates homines sive vino sive ira victi adducantur. Tamen inde, quod intemperantia Aegyptiorum ac luxuria acerrime reprehenduntur v. 43 sq., effici mihi videtur, ut poeta cenas magnificas talibus pugnis saepe finiri etiam hic adumbrare velit. Videmus autem in scriptis eorum auctorum, qui vestigia popularis Cynicorum philosophiae sectantur, tales descriptiones in gratia fuisse.[2]) Ac perlubenter ebrii et rudes homines in his sermonibus cum Centauris,[3]) Lapithis,[4]) Cyclopibus comparantur, quod Juvenalis quoque facit vv. 14 sq.[5]) Quae cum ita sint, nascitur suspicio etiam hanc saturam, quamvis argumentum multum a reliquis abhorrere videatur, ad similem fontem revocari posse. Juvenalem enim haec non ipsum vidisse aut ab incola quodam alterius oppidi comperisse ex eo elucet, quod Ombum a Tentyra centum quadraginta fere milia passuum abesse nescit. Accedit, quod ea pars, in qua de clementia agitur, tametsi severitati Stoicorum non respondet, philosopho non indigna est.[6]) Qui nihil aliud volebat nisi immanitatem Aegyptiorum castigare, ei non opus erat Zenonis et Pythagorae, qui tanta facinora vetent, mentionem habere.

Itaque in hac quoque satura multa philosophae diatribae non dissimilia inesse iudico. Nec vero eadem exempla noster quae Lucianus, Cynicos σπουδολεγοίους, qui tertio saeculo florebant, sed aequales hic imitari videtur, qui in dicendo maiore erant austeritate ut Peregrinus et Demonax. — Facete in tertia satura (278 sq.) ebrium hominem describit, qui nocte cena discedens ambulantem quendam repente opprimit verberibusque caedit.[7]) —

1) cf. Juv. 15. 78 sq.
2) cf. Wendland, Philo etc. 21 sq. Hirzel, d. Dial I. 365.
3) Dio XXVII. 2. p. 317 Dind. XXXII, 53, p. 418 Dind. 4) Luc. conv. 45.
5) Ut noster vv 63—68 locum Vergilii detorquet in ridiculum, sic Lucianus in convivio versum Homericum facete immiscet orationi cap. 44, ubi pugnas rixantium philosophorum depingit. 6) cf. cap. IX.
7) Nocturnas ebriorum pugnas Nigrinus obiurgat cap. 22: πλήρεις δὲ αὐτῶν τῶν ἐμούντων οἱ στενωποὶ καὶ πρὸς τοῖς χαμαιτυπείοις μαχομένων. (cf. Sen. ep. 51. 12.)

Ut splendidam supellectilem, qua epularum apparatus augetur, saepe philosophi reprehendunt[1]), sic Juvenalis iisdem fere verbis pretiosorum poculorum et phialarum usum increpat: 5. 37

Ipse capaces
Heliadum crustas et inaequales berullo
Virro tenet phialas . . . . . .
42 . . . *praeclara illi laudatur iaspis.*
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert.

cf. 10. 26. De aureis autem calicibus et argenteis, quos non minus inutiles esse iudicat, noster non multum dicit. cf. 10. 27, 5. 39, 1. 76, 12. 43, 9. 141. Plura de eis verba faciunt Musonius et Philo. cf. St. fl. 85. 20 (M. p. 147) ἐκπώματα δὲ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου πεποιημένα, τὰ δὲ λίθων ἢ λιθοειδῶν τινῶν ἁμιλλωμένων τῇ πολυτελείᾳ τοῖς ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς. Philo interrogat d. somn. II. 9 (I. 667): τί δὲ ἀργυρῶν καὶ χρυσῶν κυλίκων ἀφθόνων πλῆθος κατασκευάζεσθαι, εἰ μὴ διὰ τὸν φρυαττόμενον μεγάλα τῦφον καὶ τὴν ἐπ' αἰώρας φορουμένην κενὴν δόξαν[2]). Idem cum Juvenale conspirat his verbis II. 479: ἐκπωμάτων πλῆθος ἐκτεταγμένων καθ' ἕκαστον εἶδος, ῥυτὰ γὰρ καὶ φιάλαι καὶ κύλικες, καὶ ἕτερα πολυειδῆ τεχνικώτατα θηρίκλεια καὶ τορείαις ἐπιστημονικῶν ἀνδρῶν ἠκριβωμένα (v. cont. 6).

cf. Juv. 1. 76:

stantem extra poculum caprum.
12. 95 *vitreo bibit ille Priapo.*
12. 43 *Ille nec argentum dubitabat mittere: lances*
Parthenio factas etc.
11. 102 *Magnorum artificum frangebat pocula miles* eqs.

cf. Sen. ben. VII. 9. 3: *Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium.*[3]) (cf. Juv. 6. 155) ad Helv. 11. 3: *Sed desiderat aureis fulgentem vasis supellectilem et antiquis nominibus artificum argentum nobile.*[4])

Amplitudinem craterum notat 5. 37, item

12. 44 . . . . . . *urnae cratera capacem*
et dignum sitiente Pholo vel coniuge Fusci.

Velim conferas, quomodo in Luciani dialogo, qui inscribitur convivium, Alcidamas Cynicus sumat εὐμεγέθη σκῦφον et describatur, οἷος ὁ παρὰ τῷ Φόλῳ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν γραφέων δείκνυται.[5])

---

1) cf. Wendland p. 29 sq.
2) cf. Cic. par. 36. Sen. ep. 5. 3, 110. 12, 119. 13. Plut. praec. coniug. 48. Epict. III. 7. 29, 9. 18, 26. 36. [Diog.] ep. 37. 3. Clem. paed. II. 35. Dio Chr. XIII. 34 p. 251 Dind. [Plin. 33 cap. 11 (§ 139 eqs.) sq. 37. cap. 6. 7. 10.]. Luc. nav. 20. 39 Cyn. 9.
3) cf. ep. 76. 15, 119. 14.
4) cf. Sen. ep. 123. 7.
5) cap. 14.

Cetera quoque luxuriae instrumenta ab iis auctoribus, quos modo commemoravi, non secus atque a nostro repudiantur. Mensae omni ornatu instructae depinguntur 11. 120 sq.:

At nunc divitibus cenandi nulla voluptas
. . . . . . *putere videntur*
unguenta et rosae, latos nisi sustinet orbes
grande ebur et magno sublimis pardus hiatu
dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes
et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus eqs.
127 . . . . . . *hinc surgit orexis*[1])
hinc stomacho vires; nam pes argenteus illis,
anulus in digito quod ferreus.

cf. 11. 175. Quam sollemnes tales luxuriae castigationes in declamationibus philosophorum occurrant, facile videbis, si hos locos comparaveris. Mus. ap. Stob. 85. 20 (p. 147 M). καὶ μὴν συνῳδὰ καὶ συγγενῆ τῇ περὶ τὰς οἰκίας πολυτελείᾳ καὶ τὰ τῶν σκευῶν τῶν κατ' οἰκίαν φαίνεται ὄντα, κλῖναι καὶ τράπεζαι καὶ στρώματα κτλ. . . . . κλῖναι μὲν ἐλεφαντίναι καὶ ἀργυραῖ ἢ νὴ Δία χρυσαῖ, τράπεζαι δὲ παραπλησίας ὕλης, στρωμναὶ δὲ ἁλουργεῖς καὶ ἄλλων χρημάτων δυσπορίστων. — Dio Chr. XIII. 34 p. 251 D: Ὅσῳ γὰρ ἄν, ἔφην, πλείων ἥ τε ἀνδρεία καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ σωφροσύνη γίγνηται παρ' ὑμῖν, τοσούτῳ ἔλαττον ἔσται τό τε ἀργύριον καὶ τὸ χρυσίον καὶ τὰ ἐλεφάντινα σκεύη καὶ τὰ ἠλέκτρινα[2]) καὶ κρύσταλλος καὶ θύον καὶ ἔβενος καὶ ὁ τῶν γυναικῶν κόσμος[3]) καὶ τὰ ποικίλματα καὶ αἱ βαφαὶ καὶ ξύμπαντα ἁπλῶς τὰ νῦν ἐν τῇ πόλει τίμια καὶ περιμάχητα κτλ. Clem. paed. II 35: κλῖναί τε ἀργυρόποδες καὶ ἐλεφαντοκόλλητοι, χρυσόστικτοί τε καὶ χελώνης πεποικιλμέναι κοίτης κλισιάδες.[4]) cf. Juv. 11. 93:

Nemo inter curas et seria duxit habendam,
qualis in Oceano fluctu testudo nataret,
clarum Troiugenis factura et nobile fulcrum.

cf. 14. 307 sq. 6. 594.

Porro Juvenalis in carmine undecimo oblectamenta conviviorum acerbe insectatur: v. 162 sq.

Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
incipiant prurire choro, plausuque probatae
ad terram tremulo descendant clune puellae eqs.

---

1) cf. cap. XVI, 2) cf. Juv. 14. 307. 3) cf. cap. VIII.
4) cf. Sen ep. 17. 12, 76. 15, 110. 12; ben. VII. 9, 2. Plut. de cup. div. 8; fort. 5 (p. 99 F) Luc. nav. 21. Cyn. 9. [Diog.] ep. 28. Stob. fl. 93. 31 (M. p. 188 7) Philo de somn. I. 20 p. 639 de prov. II. 22; de spec. leg. II. 5 p. 274, de somn. II. 8, de vit. cont. 6 p. 479. — cf. Wendland, Philo und die kyn. Diatr. p. 26 sq. — Quin etiam aureas matelliones Chrysippus ridet. Plut. St. rep. 30. 6 (= d. Arnim, vet. St. fr. III. 153. cf. Cic. par. 38) cf. Juv. 3. 108.

171 *Non capit has nugas humilis domus: audiat ille*
testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
fornice mancipium quibus abstinet, ille fruatur
vocibus obscaenis omnique libidinis arte,
qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.

cf. 15. 49. Tibicinae ac saltatrices, quae adsunt in convivio a Xenophonte descripto, Philoni quoque displicent de vit. cont. 7. Plutarchus a Stoico quodam haec acroamata conculcari facit quaest. conv. VII. 7. 1,1. . . . . πράγματα εἴχομεν ἀμυνόμενοι βαθυπώγωνα σοφιστὴν ἀπὸ τῆς Στοᾶς, ὃς ἀπήγαγε τὸν Πλάτωνα κατηγοροῦντα τῶν αὐλητρίσι χρωμένων παρ' οἶνον. cf. Dio Chr. IV. 110 p. 84 D. Magis quadrat in hunc locum Clem. paed. II. 40: Εἰ δὲ ἐν αὐλοῖς καὶ ψαλτηρίοις καὶ χοροῖς καὶ ὀρχήμασι καὶ κρότοις Αἰγυπτίων καὶ τοιαύταις ῥᾳθυμίαις ἀλύοι ἀτάκτοις, καὶ ἀπρεπεῖς καὶ ἀπαίδευτοι κομιδῇ γίγνοιντο ἂν κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἐξηχούμενοι καὶ τοῖς τῆς ἀπάτης ὀργάνοις περιψοφούμενοι· ἀτεχνῶς γάρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, θέατρον μέθης τὸ τοιοῦτον γίνεται συμπόσιον. cf. Luc. Nigr. 15: . . . ὅστις ἀκούων τέρπεται κρουμάτων τε καὶ τερετισμάτων καὶ διεφθορότων ᾀσμάτων, τοῖς δὴ τοιούτοις πρέπειν τὴν ἐνταῦθα (scil. ἐν Ῥώμῃ) διατριβήν. Plut. quaest. conv. VII. 8. 4,3.4 . . . . οἱ δὲ πολλοὶ καὶ γυναικῶν συγκατακειμένων[1] καὶ παίδων ἀνήβων ἐπιδείκνυνται μιμήματα πραγμάτων καὶ λόγων, ἃ πάσης μέθης ταραχωδέστερον τὰς ψυχὰς διατίθησιν.[2]) cf. Juv. 14.46

Procul, a procul inde puellae
lenonum et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia etc.

His voluptatibus Juvenalis carmina Homeri ac Vergili praefert 11.179:

Nostra dabunt alios hodie convivia ludos,
conditor Iliados cantabitur atque Maronis
altisoni dubiam facientia carmina palmam.

Utilius esse in conviviis Platonis sermones et Menandri fabulas recitare quam saltationibus oculos spectantium delectare Plutarchus monet quaest. conv. VII. 8, 1 et 3. Homerum et Vergilium a Seneca quoque summis laudibus efferri consentaneum est, quoniam persuasum habebat poetas multa dicere, *quae philosophis aut dicta sunt aut dicenda.*[3]) cf. ep. 88. 5.

Jam transeo ad servos puerosque delicatos. Illorum multitudinem noster castigat 14. 305; 6. 151

. . . . *poscitque maritum* . . .
. . . *pueros omnes, ergastula tota* . . .[4])

---

1) cf. Juv. 11.165. 2) cf. Plut. quaest. conv. VII. 5. 3,11; 8 cap. 3. Cic. T. III. 46. Plura annotat Mayor in commentario pag. 210 sq. (Lact. VI. 21).
3) cf. ind. ap. Haase. 4) cf. Sen. tr. an. 8.6; ad Helv. 11.3; vit. beat. 17.2. Plut. de virt. evit. 1, 4. Luc. nav. 15. Sat. 1. M. Aur. VI. 14. Dio XIII. 35, p. 251 D. LXVIII. 4. p. 232 sq.

Turbas pedisequorum et lecticariorum perstringit 1. 63:

Nonne libet medio ceras implere capaces
quadrivio, cum iam sexta cervice feratur ....
67 *signator falsi.* cf. 3. 244 sq.[1])

Sen. ep. 31. 10: .... *turba servorum lecticam per itinera urbana ac peregrina portantium* .....[2])

Locus communis est philosophis popularibus descriptio ministrorum dominos in balnea sectantium neque a nostri saturis abest: 7. 129.

exitus hic est
Tongilii, magno cum rhinocerote lavari
qui solet et vexat lutulenta balnea turba...[3])

cf. Luc. Nigr. 13 ... ἀλλ' ἐπεὶ κἂν τοῖς γυμνασίοις καὶ λουτροῖς ὀχληρὸς ἦν ϑλίβων τοῖς οἰκέταις καὶ στενοχωρῶν τοὺς ἀπαντῶντας, ἡσυχῇ τις ἂν ἐφϑέγξατο ... Δέδοικε μὴ παραπόληται μεταξὺ λούμενος. cf. cap. 34. Qualis sit turba illa lutulenta, Senecae ep. 56 docet, ubi initio fremitus balneorum ac studia unctorum et alipilorum depinguntur. Redeo ad Graecos auctores: Epict. III. 26, 21: Σὺ ... δέδοικας, μὴ οὐ σχῇς ... ἄλλους τοὺς ἀκολουϑήσοντας, ἵν' ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν ὡς ἐσταυρωμένον τρίβῃ ἔνϑεν καὶ ἔνϑεν κ. τ. λ. cf. IV. 4. 24. Plut. praec. reip. ger. 31. 8. M. Aur. I. 16 (p. 8. 20 ed. Stich) Clem. paed. III. cap. 5.

Quanti servi emantur, vehementer Juvenalis his verbis increpat. 5. 56

..... *pretio maiore paratus,*
quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci
et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
frivola.

Similiter Seneca opulentum hominem irridet, cui centenis milibus constant singuli servi litterati, ep. 27. 7.[4])

Illud gravioris momenti, quod scribit de vestitu habituque eorum. Formam aetatemque *Gaetuli Ganymedis* acerbe praedicat 5. 56 sq., qua in re consentit cum Clemente Alexandrino paed. III. 26: οἰνοχόων τε ὅμιλος ἀσκεῖται παρ' αὐτοῖς καὶ μειρακίων ὡραίων ἀγέλαι καϑάπερ ϑρεμμάτων, παρ' ὧν ἀμέλγονται τὸ κάλλος. Idem Philo fusius enarrat de vit. cont. 6: Διακονικὰ ἀνδράποδα εὐμορφότατα * καὶ

---

1) Liceat hic clientium quoque facere mentionem, qui comitantur patronum. 1. 45: *ardeat ira, | cum populum gregibus comitum premit hic spoliator | pupilli*.. cf. 7. 141 sq. 3. 239 sq. 284 (v. Sen. ben. VI. 34. 4; rem. 10. 4). In magnum servorum comitatum Nigrinus incurrit cap. 13. ἐμέμνητο γοῦν τινος τῶν πολυχρύσων, ὃς ἐλϑὼν 'Αϑήναζε μάλ' ἐπίσημος καὶ φορτικὸς ἀκολούϑων ὄχλῳ .... ᾤετο ζηλωτὸς εἶναι πᾶσι τοῖς 'Αϑηναίοις κ. τ. λ. cf. cap. 34.

2) cf. Sen. ep. 110 17; de v. beata 17. 2; tr. an. 8. 6; const. 14. 1; ben. VII. 28. 5. cf. [Luc.] Cyn. 10.

3) cf. Juv. 11. 156; 6. 422.

4) ⟨cf. Varro περὶ ἐδεσμάτων ap. Gell. 15. 19 = fr. 404⟩.

περικαλλέστατα, ὡς ἀφιγμένα οὐχ ὑπηρεσίας ἕνεκα μᾶλλον[1]) ἢ τοῦ φανέντα τὴν τῶν θεωμένων ὄψιν ἡδῦναι. Τούτων οἱ μὲν παῖδες ἔτι ὄντες οἰνοχοοῦσι, ὑδροφοροῦσι δὲ βούπαιδες, λελουμένοι καὶ λελειασμένοι, τά τε πρόσωπα ἐντρίβονται καὶ ὑπογράφονται καὶ τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας εὖ πως διαπλέκονται σφηκούμενοι. Βαθυχαῖται γάρ εἰσιν ἢ μὴ κειρόμενοι τὸ παράπαν .... καὶ γραμμῆς κυκλοτεροῦς ἠκριβωμένοι σχῆμα, χιτῶνάς τε ἀραχνοϋφεῖς καὶ ἐκλεύκους ἐπαναζωσάμενοι, τὰ μὲν ἐμπρόσθια κατωτέρω τῶν ὑπὸ γόνου, τὰ δὲ κατόπιν μικρὸν ὑπὸ τοῖς γονατίοις κτλ.[2]) Quantopere noster ministros illos splendidos ac muliebriter comptos contemnat, ex his versibus cognosci potest: 11. 145.

Plebeios calices .....
porriget incultus puer atque a frigore tutus,
non Phryx aut Lycius ....
149 *Idem habitus cunctis, tonsi rectique capilli*
154 *ingenui vultus puer ingenuique pudoris,*
quales esse decet, quos ardens purpura vestit ...
157 *.. nec vellendas iam praebuit alas.*

cf. Sen. ep. 95. 24. *Transeo agmina exoletorum per nationes colores-que descripta*[3]), *ut eadem omnibus levitas sit, eadem primae mensura lanuginis, eadem species capillorum, ne quis cui rectior est coma, crispulis misceatur.*[4])

Etiam vehementius ingenuos persequitur, qui muliebrem vestem induunt arteque formam augere student.[5])

2. 39 *Ille supercilium madida fuligine tactum*
obliqua producit acu, pinguitque trementis
attollens oculos[6]) ....
reticulumque comis auratum ingentibus implet.[7])

Alio loco iuventutem levigatam castigat.

8. 114 *quid resinata iuventus*
cruraque totius facient tibi levia gentis?

cf. 8. 14 sq. 9. 95. Quam celebria philosophorum in declamationibus haec crimina fuerint in quaestionibus Musonianis Wendland iam demonstravit p. 20 sq. Itaque satis habeo hos locos afferre: Cl. III. 16 Τὸ γὰρ ἄνδρας ὄντας ξυρᾶσθαι καὶ λεαίνεσθαι πῶς οὐκ ἀγεννές; Sen. de brev. v. 12. 3 ..... *hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos?* cf. Juv. 2. 29.[8]) Addo denique Ep. III. 1. 26; D. Chr. XXXIII, 63 p. 21 D.; Plin. 14. 123.

---

1) cf. Juv. 5. 60 sq. 2) cf. Sen. ep. 47. 7; 119. 11. Luc. Sat. 24.
3) cf. 5. 53 sq., 4. 75, 7. 132, 9. 143.
4) cf. Sen. ep. 119. 14, tr. an. 1, 8. de prov. 3. 13. Mus. ap. St. 6. 24 (H. p. 289 sq.). 5) cf. Sen. ben. I. 10. 2.
6) Idem feminis crimini vertit Clem. paed. III. 6, 7.
7) cf. Mus. ap. Stob. 6. 24 (H. p. 290. 15 sq.). Clem. paed. III. 15. Luc. Nigr. 13. 8) cf. ep. 86. 11; 90. 25; q. n. I. 17. 6 sq. Clem. paed. III. 17.

Unguenta coronasque floreas denotat Iuvenalis 15. 50:

qualiacumque
unguenta et flores multaeque in fronte coronae

cf. 11. 121, 2. 41, 3. 68, 4. 108, 6. 297. 303, 9. 128. Quam materiam uberius Clemens pertractat II cap. 8 cf. § 70 καὶ τῶν στεφάνων ἡ χρῆσις κωμαστικὴ καὶ πάροινος ἄπερρε κτλ.[1]) — Juv. 2. 40

Unde
haec emis, hirsuto spirant opobalsama collo
quae tibi? Ne pudeat dominum monstrare tabernae.

cf. Sen. ep. 108. 4 *qui in unguentaria taberna resederunt et paulo diutius commorati sunt odorem secum loci ferunt.*[2])

Saepius vestimentorum luxum[3]) et subtilitatem impugnat ut 2. 65:

Sed quid
non facient alii, cum tu multicia sumas etc.
77 *acer et indomitus libertatisque magister,*
Cretice, perluces.

cf. v. 97.

82 *Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu,*
. . . . . . *Accipient te*
paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
frontibus et toto posuere monilia collo etc.

cf. Sen. ep. 122. 7: *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem?* cf. Phil. de somn. II, 7: τίς οὖν τὰς ἁλουργίδας, τίς τὰ διαφανῆ καὶ λεπτὰ θέριστρα, τίς τὰς ἀραχνοϋφεῖς ἀμπεχόνας, τίς τὰ ἐπηνθισμένα ἢ βαφαῖς ἢ πλοκαῖς διὰ τῶν βάπτειν ἢ ὑφαίνειν ποικίλα ἐπισταμένων καὶ τὴν ἐν ζωγραφίᾳ μίμησιν παρευημεροúντων δαιδαλεύεται; τίς; οὐχ ἡ κενὴ δόξα;[4]) Ambitione homines ad tantas impensas tantamque profusionem adduci Juvenalis conqueritur 3. 182. Purpura fulgentes ab omnibus, qui morum corruptelam impugnant, totiens reprehenduntur, ut mirum esset, nisi noster id quoque hominum prodigorum genus conviciis cumulasset. cf. 14. 187:

. . . . . *peregrina ignotaque nobis*
ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit.
Haec illi veteres praecepta minoribus[5]) . . . . .

1) cf. Wendland, Philo etc. p. 31.
2) cf. Sen. ep. 86.11 sq.; 108.16; de ira II, 33.4,5. Tel. p. 8.14, 15. Epict. IV. 9.12. Dio IV. 101 p. 82 sq.; VII 117 p. 135 Dind. Plin. XIII. 20 sq. [Plut. q. conv. III. 1.]
3) cf. Wendland p. 24 sq.
4) cf. Cl. II 107, 113. M. Aur. I. 16 (ed. Stich p. 8.22). Dio Chr. VII 102 p. 83 Dind. Luc. Sat. 29. (Varr. fr. 228/9. Petr. 119 v. 10.)
5) cf. 1.27, 4.31, 7.134, 10 38 sq. (v. Mayor ad 14.188).

Adicio locis supra allatis Sen. ep. 16. 8, 90 41, 94. 70; de const. 13. 2; de ira I. 21. 1; de vit beat. 25. 2; ad. Helv. 11. 2; Epict. III. 1. 23. Luc. Nigr. 21. Dem. 41 Cl. Al. II. 115.

Effeminatis hominibus, qui pretiosissimas munditias ostentantes non cedunt mulieribus, valde irascitur 1. 26 sq.

. . . . . *cum verna Canopi*
Crispinus . . . . .
ventilet aestivum digitis sudantibus aurum
nec sufferre queat maioris pondera gemmae eqs.

cf. 7. 144. In eadem re Nigrinus offendit cap. 21: πῶς γὰρ οὐ γελοῖοι οἱ πλουτοῦντες αὐτοὶ καὶ τὰς πορφυρίδας προφαίνοντες καὶ τοὺς δακτύλους προτείνοντες κ. τ. λ. cf. Sen. q. n. VII. 31. 2: *Exornamus anulis digitos, in omni articulo gemmam disponimus.*[1]) Acerbe respuit noster monilia gestantes 3. 67:

Rusticus ille tuus . . . . *Quirine,*
. . . . *ceromatico fert niceteria collo.*

cf. 2. 85. *Molles in aure fenestras* libertini petulantis noster notat 1. 104. cf. Sen. ben. VII. 9. 4: *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos. Jam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt* etc. Max. Tyr.[2]) 36. (20) cap. 2. χρυσὸν οἱ μὲν τοῖς αὐχέσιν, οἱ δὲ ταῖς κεφαλαῖς, οἱ δὲ τοῖς δακτύλοις περιαρτήσαντες (cf. Plut. de cup. div. 10).

De mulierum ingenti luxuria, quae maxime satura sexta impugnatur, infra disseram. Nunc venio ad aedificiorum magnificentiam,[3]) quam noster in ea satura imprimis improbat, in qua agitur de divitiarum contemptu. Cicero quoque in sexto paradoxo homini *illi aurata tecta in villis et sola marmorea facienti* exponit, quid de supervacuo illo splendore sentiat (§ 49).[4]) Sed inspiciamus Juvenalis ipsius saturam 14. 86:

Aedificator erat Cretonius, et modo curvo
litore Caietae, summa nunc Tiburis arce,
nunc Praenestinis in montibus alta parabat
culmina villarum Graecis longeque petitis
marmoribus[5]) . . . . . .
92 . . . . . *imminuit rem*
fregit opes; *nec parva tamen mensura relictae*
partis erat; *totam hanc turbavit filius amens,*
dum meliore novas attollit marmore villas.

---

1) cf. Sen. brev. vit. 12. 3. Plut. de ira coh. 14 (462 D). Luc. sat. 29. Plin. 33 § 8 sq.

2) „De Maximo Tyrio" scite disseruit H. Hobein, Gottingae 1895. Maximi dissertationes, quamvis declamatoriae sint, ad moralem philosophiam illius aetatis recte cognoscendam multum materiae suppeditant.

3) cf. Wendland, quaest. Mus. p. 28; Philo etc. p. 25 sq.

4) cf. Cic. off. 1. 140. 5) cf. Juv. 7. 182 sq. 11. 175; 4. 112.

Divitum infinitam cupiditatem aedificandi saepius perstringit.[1]) — Quemadmodum Seneca, Musonius, Philo conveniant cum nostro, haec docent exempla: Sen. ep. 89. 21: *Quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant, nullum flumen, cuius non ripas aedificia vestra praetexant?* eqs. . . . . *Omnibus licet locis tecta vestra resplendeant, aliubi imposita montibus in vastum terrarum marisque prospectum aliubi ex plano in altitudinem montium educta.*[2]) *Cum multa aedificaveritis, cum ingentia, tamen et singula corpora estis et parvula.*[3]) ep. 90. 25: *Quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? quid lapideas moles in rotundum ac leve formatas, quibus porticus et capacia populorum tecta suscipimus?* cf. Juv. 7. 182.[4]) Mus. ap. Stob 1. 208 (H. p. 175) Τί δ'αἱ περίστυλοι αὐλαί;[5]) . . τί δ'αἱ πολυτέλειαι τῶν λίθων, τῶν μὲν χαμαὶ συνηρμοσμένων,[6]) τῶν δ'εἰς τοίχους ἐγκειμένων . . . οὐ ταῦτα πάντα περιττά; — Phil. de somn. II. 8: τί οὖν τὰ μὲν ἐδάφη καὶ τοὺς τοίχους πολυτελέσι λίθοις διακοσμοῦμεν; τί δὲ Ἀσίαν καὶ Λιβύην καὶ πᾶσαν Εὐρώπην καὶ τὰς νήσους ἐπερχόμεθα κίονας ἀριστίνδην ἐπιλελεγμένους καὶ ἐπιστυλίδας ἐρευνῶντες; κ. τ. λ.[7])

Post incendia novas domos meliores aedificari Timagenes dolet apud Sen. ep. 91. 13: *Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret m e l i o r a surrectura quam a r s i s s e n t.* cf. Juv. 3. 220:

> . . . *M e l i o r a ac plura reponit*
> *Persicus* . . . . *merito iam*
> *suspectus, tamquam ipse suas i n c e n d e r i t aedes.*

Postremo ut noster eos increpat 7. 178, qui ingentem pecuniam in balneis instruendis consumunt, sic Seneca eorum splendidum ornatum indignatur ep. 86. 7.

Huius loci est, antequam hanc materiam relinquam, pauca verba inicere de r u i n i s a e d i u m i n c e n d i i s q u e,[8]) de quibus Seneca haec profert ep. 103. 1: *Quid ita circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire . . . . . .? Incendium dico, ruinam, alia quae nobis incidunt, non insidiantur.*[9])

---

1) 1. 94; 4. 7; 10 225; 14 275 (cf. 141).
2) cf. Juv. 3. 269; 6. 31; [Plin. III. 67].
3) cf. de ira I. 21. 1; tr. an. 3. 7; ben. VII. 10. 5. (ep. 51. 11).
4) cf. ep. 86. 6, 16. 8, 100. 6, 114. 9, 115. 9. ben. IV. 6. 2. VII. 20. 2; ir. III. 35 5.
5) cf. Juv. 1. 12, 7 178 (Plut. vit. et virt. 4 p. 101 c).
6) cf. Juv. 11. 175; 6. 430.
7) cf. de Cher. 30. (157/8); de decal. 25. Plut. cup. div. 1 Dio LXXIX 1 p. 285 D. Epict. gnom. 61 (= Schw. fr. 82) [Luc.] Cyn. 8. (Plin. 36. 1 sq. Petr. 120. 87; Varr. fr. 353 sq. Luc.. Phars. 10. 110 sq.)
8) cf. Friedl. S. G. I⁶ p. 29—32.
9) cf. ep. 90. 43; ben. VI. 15. 7.

cf. Juv. 3. 6:

. . *Quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non*
deterius credas horrere incendia lapsus
tectorum assiduos ac mille pericula saevae
urbis. cf. 190—222; 14. 305—309.[1])

VII.

De libidine.

Divitias omnium libidinum causam esse legimus 6. 294:

Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
paupertas Romana perit . . . . .
298 *Prima peregrinos obscaena pecunia mores*
intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
divitiae molles. eqs.

Ac primum marum libidines perversas tractabo, deinde mulierum licentiam et impudicitiam. — De puerorum turpi amore[2]) praecipue noster agit in satura secunda ac multa hic invenies cum Seneca et Philone congruentia. Acerrime enim hic Juvenalis nefanda eorum facinora detegit, qui aliorum vitia cernunt, obliviscuntur suorum (cf. vv. 3. 9 sq.[3]). — Proponam pauca e Philonis libro sumpta, qui inscribitur περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων κ. τ. λ. III 7 (= II 306) Ἐπεισκεκώμακε δὲ ταῖς πόλεσιν ἕτερον . . . μεῖζον κακόν, τὸ παιδεραστεῖν, ὃ . . . νυνὶ . . . ἐστιν αὔχημα οὐ τοῖς δρῶσι μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς πάσχουσιν, οἳ . . . . τάς τε ψυχὰς καὶ τὰ σώματα διαρρέουσι[4]) . . . . περιφανῶς οὕτως τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας ἀναπλεκόμενοι καὶ διακοσμούμενοι, καὶ ψιμμυθίῳ καὶ φύκεσι καὶ τοῖς

---

1) Viarum strepitus angustiaeque laborantis turbae a Seneca attinguntur de ira III. 6. 4: . . . *per frequentia loca urbis properanti in multos incursitandum est, et aliubi labi necesse est, aliubi retineri, aliubi respergi.* (de tranq. an. 12. 2; clem. I. 6 1; Luc. Nigr. 29) cf. Juven. 3. 243 sq. — Porro Seneca et Juvenalis inter se congruunt: ep. 90. 9 . . . *pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine vicis intrementibus.* (cf. ep. 56. 4) sat. 3. 254 sq. 236 sq. Seneca quamquam strepitu urbis a studio non avocatur, tamen ex ea discedit (ep. 56. 15) et Vatiae villam propter tranquillitatem loci laudat (ep. 55. 6).

2) Quid de venere aversa philosophi sentirent, Carolus Praechter copiosius quaesivit in libro, qui inscribitur Hierocles Stoicus (Lipsiae 1901) p. 148—150. cf. Wendland, Philo etc. p. 33 sq. Adicio locis ab eis allatis: Plut. quaest. conv. VII. 5. 3. 7 (p. 705). [Diog.] ep. 28. 4. Dio Chr. VII. 151. p. 142 D. Epict. II. 10. 17. III. 17. 4. [Lact. inst. VI. 23. 8 sq.]

3) cf. Cic. Tusc. III. 73. Sen. ep. 50. 3—4. tr. an. 1. 16; de ira II. 28, 7—8 III. 26. 4. Max. Tyr. 36. (20). 2 (ed. Duebner p. 141. 34 sq.).

4) cf. de vita cont. 7, Bion ap. D. L. 4. 49.

ὁμοιοτρόποις τὰς ὄψεις τριβόμενοι καὶ ὑπογραφόμενοι . . . . ἐν ἅπασι τοῖς εἰς εὐκοσμίαν* ἠσκημένοι* καὶ τὴν ἄρρενα φύσιν ἐπιτηδεύσει τεχνάζοντες εἰς θήλειαν μεταβάλλειν οὐκ ἐρυθριῶσι[1]) . . . . II. 307 Τοὺς γοῦν ἀνδρογύνους ἰδεῖν ἐστι . . . . . καὶ τὰ ἱερὰ τοὺς ἀνιέρους διειληχότας καὶ μυστηρίων καὶ τελετῶν κατάρχοντας καὶ τὰ Δήμητρος ὀργιάζοντας.[2])' Ὅσοι δὲ αὐτῶν τὴν καλὴν νεανιείαν προσεπιτείναντες εἰς ἅπαν ὠρέχθησαν μεταβολῆς τῆς εἰς γυναῖκας, τὰ γεννητικὰ προσαπέκοψαν κ. τ. λ. —

Jactationem et superbiam Naevoli cinaedi, qui foedissima impudentia gloriatur, Juvenalis in nona satura non inficete describit. — Quomodo eiusdem animus corpusque aegrotet, indicatur 9. 12 sq.

. . . . . *vultus gravis, horrida siccae*
silva comae . . . .
16 *Quid macies aegri veteris, quem tempore longo*
torret quarta dies olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in aegro
corpore etc. —

De capillis muliebriter comptis aliubi dixi.[3]) Fuci usus illuditur 9. 13

. . . . *nullus tota nitor in cute, qualem*
Bruttia praestabat calidi tibi fascia visci etc.

cf. 2. 94, 105.[1]) — Quantopere pathici virilem naturam exuere studeant, noster enarrat 2. 54—57, 66 sq.[4]) — Ubi versentur sordidi illi homines et cinaedi, monstratur 9. 22 sq.

Nuper enim . . . *fanum Isidis et Ganymedem*
pacis et advectae secreta Palatia matris
et Cererem . . . .
. . . . *moechus scelerare solebas,*
quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.

cf. 2. 83

Accipient te . . . . .
paulatim qui . . . .
86 *bonam tenerae placant abdomine porcae*
et magno cratere deam . . . .
91 *Talia secreta coluerunt orgia taeda*
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytun.
112 . . . *et crine senex fanaticus albo*
sacrorum antistes etc.

---

1) de sacr. Ab. et C. (I 183).
2) Gentilium mysteria denotat Clem. protr. II. §§ 11—24. cf. cap. XIV.
3) cf. p. 28 sq.
4) Sen. ep. 122, 7.

Eorum, qui omni pudore sublato ipsi se castrant, mentionem inicit 2. 115 sq. 6. 513 sq.[1]) — Pallorem iuvenum voluptatibus Veneriis debilitatorum perstringit 1. 43:

palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem

cf. 2. 50. Similiter Seneca faciem illorum describit ep. 122. 4 *quippe suspectior illis quam morbo pallentibus color est: languidi et evanidi albent* etc. Idem in septima eiusdem epistulae paragrapho eos conculcare pergit, qui contra naturam peccant. Quantopere, ut alios omittam philosophos, Bion eosdem respuerit, e vita eius, quam scripsit Diogenes Laertius, cognosci potest.[2]) — Quod Juvenalis flagitiosissimum scelus statuit 2. 117—142, viri cum viro nuptias, id Neroni graviter crimini vertit Dio Chr. XXI. 6 sq. p. 299 D.

Fellatores noster destringit 2. 49, 10. 208 sq. Quod vitium adumbrat Nigrinus in Luciani sermone cap. 21;[3]) in pedicantes idem invehitur cap. 31.

Senes libidinosi castigantur 10. 204—9.[4])

207 *Anne aliquid sperare potest haec inguinis aegri*
canities? Quid quod merito suspecta libido est,
quae venerem adfectat sine viribus? eqs.

Cynicos quoque has perversas cupiditates perstrinxisse his locis demonstratur:

Teles (ed. H.) p. 6. 14: πρεσβύτης γέγονε· πάλιν ἐπιθυμεῖ τὰ ἐν νεότητι (cf. 32. 2). Epicurum Plutarchus vituperat,[5]) quod quaerat, εἰ γέρων ὁ σοφὸς ὢν καὶ μὴ δυνάμενος πλησιάζειν ἔτι ταῖς τῶν καλῶν ἁφαῖς χαίρει καὶ ψηλαφήσεσιν.

Adulteris, quos noster saepius carpit,[6]) a philosophis quoque non parci non miraberis.[7]) Divinum illud praeceptum οὐ μοιχεύσεις Philo Judaeus explanat de spec. leg. III. 2 sq.[8]) Is quoque improbat affinium conubium, sed multo foedius est, quod Juvenalis praebet, qui haec stupra marito vivente exerceri facit 1. 77.[9])

Quem patitur dormire nurus corruptor avarae?

Seneca maxima indignatione eos insectatur, qui suas uxores cum alienis viris rem habere patiuntur, ben. I. 9. 3: *Coniugibus alienis ne clam quidem, sed aperte ludibrio aditis suas aliis permisere* etc. cf. Juv. 1. 55:

---

1) cf. Sen. de prov. 5. 3 (Varr. fr. 235; Petr. 119 v. 19 sq.) v. cap. XIV.
2) 4. 49. cf. Tel. ed. Hense LXXV sq. 3) cf. rhet. praec. 23. Sen. de ira II. 9. 3. 4) cf. Norden, ann. philol. suppl. XVIII p. 268.1.
5) Non posse suav. vivi sec. Epic. 12. 3. 1094. E. cf. Cic. off. I. 123. Epict. IV. 1. 148. 6) 1. 37 sq. 55, 78. 3. 110 sq. 2. 27; 6. 42; 8. 144 sq. 11. 177; 4. 4.
7) Sen. ben. I. 9. 3 sq. 10. 2. III. 16. 3. ep. 87. 23; 97. 3 sq. Mus. ap. Stob. 6. 23. H. p. 286 sq.) Epict. II. 4; I. 18. 5; III. 3. 12; II. 10. 18. (Varr. fr. Men. 205.)
8) cf. Wendland, Philo etc. p. 36. 9) [cf. 2. 29 sq.] Ps. Phocyl. 179 sq.

cum leno accipiat moechi bona, . . .
. . . . . doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.[1])
6. 140 *Libertas emitur. Coram licet innuat atque*
rescribat; vidua est, locuples quae nupsit avaro.

cf. Sen. fr. 87: *Nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti ad eludendas leges, quae contra caelibes latae sunt, pars magna conducitur?*[2])

VIII.

Feminarum vitia[3])

Juvenalis praecipue in satura sexta multis verbis in lucem protrahit. Ut autem Theophrastus in libro de matrimonio conscripto, quem Seneca exscripsit[4]), mores earum impudicos enarrat, ut viri caveant, ne ducant uxorem, sic noster amicum monet, ut matrimonio desistat. Quotiens quamque libenter et rhetores et philosophi de matrimonio disputarint, Carolus Praechter exposuit.[5]) Plerique commendabant coniugium, pauci reiciebant.[6]) Sed nusquam ea argumenta, quibus Juvenalis utitur ad Postumum convincendum, eadem ratione composita reperiuntur nisi in Senecae sermone, quem modo laudavi. At priusquam de hoc consensu plura disputabimus, saturam ipsam enarrare oportet, qua in re, quantum utile videtur, ad orationis dispositionem a Juvenale factam nos applicabimus. — Postquam in prooemio pudicitiam a Saturni aetate evanuisse[7]) et adulterium prius reliquis omnibus flagitiis exortum esse[8]) paucis verbis docuit, propter

---

1) cf. 2. 58 sq. 6. 136 sq. 282; 9. 70 sq. — Haec causa a rhetoribus quoque agitur; cf. [Quint.] 325: perlege; iam intelleges, quanta differentia sit inter hunc declamatorem et Juvenalem.

2) cf. Dio VII. 141. p. 141. [Plut.] ed. puer. 17 p. 13 B. amat. 16. 22 πολλοὶ γὰρ ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν οὐ μόνον ἑταίρας ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ρωμαῖος ἐκεῖνος, ὦ ἑταῖρε, Κάββας εἱστία Μαικήναν κ. τ. λ. Hunc scurram *iniquas Caesaris ad mensas* contumelias tulisse Juvenalis commemorat 5. 4. (Ps. Phocyl. 177).

3) Pravitatem sexus muliebris poetae antiquitus decantabant: Hes. Theog. 570—602, op. 83—105; Archil. fr. 32 sq. 100; 133—9 Bergk. p. L. G. Operae pretium est carmen Simonidis aeqnalis Archilochi et saturam Juvenalis comparare. Interdum enim ad verbum fere inter se consentiunt. cf. Sim. 13 sq., Juv. 398 sq. — S. 32 sq., J. 413 sq., 476 sq. — S. 46 sq., J. 302 sq. — S. 48 sq., 53 sq., J. 53 sq., 465 sq., 279, 317 sq. — S. 64 sq., J. 475 sq. (S. 67; J. 465).

4) cf. Bock Aristot. Theophr. Sen. de matrim. Stud. Lips. 1899.

5) Hier. d. St. p. 142 sq.

6) cf. Praechter, H. d. St. p. 7, 66 sq. — Diog. L. VI. 3; IV. 48.

7) cf. cap. XII. 8) cf. Juv. 6. 23.

nequitiam feminarum ne civitatis quidem salutis causa uxorem ducendam esse censet v. 38:

Sed placet Ursidio lex Julia, tollere dulcem
cogitat heredem eqs.

Quot philosophi sic nuptias commendaverint, Wendland[1]) et Praechter[2]) luculenter ostenderunt. Nec vero Cynicos philosophos hoc argumentum probavisse ex epistula 47 Diogenis personati apparet.[3]) Item Theophrastus nuptias dissuadet: Sen. fr. 58. *Porro liberorum causa*[4]) *uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur heredibus, stolidissimum est* etc.[5]) —

Quam rarae sint pudicae mulieres affirmat vv. 48 sq. 162 sq.

163 . . . . *intactior omni*
crinibus effusis bellum dirimente Sabina,
rara avis in terris nigroque simillima cycno.

cf. Sen. fr. 57 *si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis est* etc.[6])

In domibus, ubi matres omnis pudoris expertes apertam cum moechis consuetudinem habeant, virginitatem puellarum servari non posse Dio explicat VII 142 p. 141 D. similiter ac Juvenalis 14.25, 6.239.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
atque alios mores quam quos habet? etc.[9])

Unum virum mulieribus sufficere negatur v. 53 sq.

Unus Hiberinae vir sufficit? ocius illud
extorquebis, ut haec oculo contenta sit uno.

Idem Seneca lamentatur ben. III 16.2 sq. *Num quid iam ulla repudio erubescit, postquam inlustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum annos suos computant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? . . . . quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum adulterorum par, nisi singulis divisit horas? Et non sufficit dies omnibus, nisi apud alium gestata est, apud alium mansit* etc.[7]) Innumera adulteria ac divortia notantur a Juvenale 10.220, 14.26, 6.224—30.

229 . . . . *sic fiunt octo mariti*
quinque per autumnos, titulo res digna sepulcri.

Quanto amore hominum maxime contemptorum mulieres incendantur, legimus vv. 63—113. cf. 379—397; 356.[8]) Salta-

1) Ph. etc. p. 33 sq.
2) Hier. p. 67 sq. 3) cf. Epict. III. 22.67. 4) cf. 6.39.
5) cf. Sen. fr. 85. 6) cf. fr. 60. 79. (rem. 16.3). 7) cf. rem. 16.5.
8) cf. v. 217. 9) v. p. 26 (de liberis educandis cf. Stob. II. 31. W. p. 199 sqq.).

tores, mimos, histriones, citharoedos, tibicines, gladiatores summa in gratia earum fuisse Tertullianus de spect. c. 22 tradit: *Etenim ipsi a⟨u⟩ctores et administratores spectaculorum, quadrigarios*[1]), *scenicos, xysticos, arenarios illos amantissimos, quibus viri animas, feminae autem illis corpora sua substernunt* etc. cf. Sen. q. n. VII. 32. 3: *Privatum urbe tota sonat pulpitum .... Mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis* ⟨tripudiantibus⟩.[2])

Mulieres, quas etiam servos et infimam plebem amplecti non pudet, vehementer obiurgat vv. 331 sq.

.... servis incurritur; abstuleris spem
servorum, venit et conductus aquarius[3]);

Ad eam impudicitiam procedentes Musonius acriter vituperat ap. Stob. 6. 23 (H. p. 288. 13).[4]) Quod quomodo vitetur, Nicostratus docet St. flor. 74. 65 (M. III p. 68). — Messalinam etiam in lupanari corpus prostituisse magna cum indignatione Juvenalis refert 114—132.[5]) Quae quam effrenate evagata sit, Plinius quoque narrat n. h. X. 172. Similia de Julia Augusti filia Seneca profert de ben. VI. 32. 1: *Divus Augustus filiam ultra impudicitiae maledictum impudicam relegavit et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quaestuariam*[6]) *versa ius omnis licentiae sub ignoto adultero peteret.*[7])

Quomodo proterva uxor petulanter dominetur in maritum[8]), describitur vv. 142—160, 206—223. Feminas dotis causa in matrimonium ductas superbe viris imperare Nicostratus ostendit ap. Stob. 70. 12 (M. p. 30. 4) cf. Juv. 139—141.[12]) Forma Bibulam coniugem allexisse legimus v. 143.

... facies, non uxor amatur etc.

Quod saepissime vituperatur a philosophis, qui imprimis animi virtutes respici volunt.[9]) Qui sic ad matrimonium ducuntur, τύραννον, inquit Hierocles[10]), ἀντὶ γυναικὸς εἰσάγουσιν ἑαυτοῖς.[11]) cf. Juv. 6. 149.

---

1) cf. Juv. 1. 62.
2) [cf. Clem. paed. III. 10]. 3) cf. 6. 216 sq. 279. 599 sq.
4) cf. Clem. III. 32. Luc. Sat. 29.
5) Ob nuptias infames cum Silio factas Messalina castigatur 10. 330 sq.
6) cf. 121 sq. 7) cf. de brev. v. 4. 6.
8) cf. Cic. par. 36.
9) Sen. fr. 81 de rem. fort. 16. 6; Muson. ap. St. 70. 14 (M. p. 33); Hier. περὶ γάμου ap. St. 67. 24 (M. p. 11. 8); Antip. ap. St. 70. 13 (M. p. 32) cf. Praechter, Hier. p. 82 sq.
10) M. III. p. 11. 13.
11) cf. Lucr. 4. 1122. — Id genus feminarum saepe occurrit in comoediis. cf. Ribbeck, Gesch. d. röm. Dicht. p. 78. Teuffel, Gesch. d. r. L.[5] § 98. 6. (v. pag. 22[3]). 12) cf. Arist. Eth. N. VIII 1161 a 1.

Interea calet et regnat, poscitque eqs.
206 *Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni*
est animus, summitte caput cervice parata
ferre iugum etc.[1])

Comparanda Senecae verba fr. 52: *Si totam domum regendam ei commiseris, serviendum est*[2]); *si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit*[3]), *sed in odium vertetur ac iurgia*[4]), *et nisi cito consulueris, parabit venena* etc. Idem alio loco[5]): *Non amicum*, inquit, *habere possumus, non sodalem. Alterius amorem suum odium suspicatur.* Plane congruunt verba cum his versibus:

214 . . . . *ille excludatur amicus*
iam senior, cuius barbam tua ianua vidit
cf. v. 510 sq. . . *amicos coniugis odit* | *et servos.*

cf. Perict. ap. St. 85.19 (M. p. 147) ὁπόσοι ἀνδάνουσι τουτέῳ ⟨scil. τῷ ἀνδρὶ⟩, ἐχθαίρει. — Quomodo imperiosae in servos ancillasque saeviant, legimus vv. 476 sq. 219 sq. Tales mulieres Plutarchus paucis verbis notat cons. ad ux. cap. 4 (p. 609c).[6])

De prodigis feminis[7]) noster multa verba facit[8]), quae maximam partem conveniunt ad dicta philosophorum: 152 sq.

quodque domi non est, sed habet vicinus, ematur.
155 *grandia tolluntur crystallina, maxima rursus*
myrrhina, deinde adamans notissimus et Berenices
in digito factus pretiosior etc.

cf. Sen. fr. 48 *multa esse, quae matronarum usibus necessaria sint: pretiosae vestes,*[9]) *aurum, gemmae*[10]), *sumptus, ancillae*[11]), *supellex varia, lecticae*[12]) *et esseda deaurata.* cf. fr. 52 Sen. ad. Helv. 16.3 *Non gemmae te, non margaritae*[13]) *flexerunt . . . . numquam tibi placuit vestis, quae nihil amplius nudaret, cum pone-*

---

1) cf. Juv. 460; Sen. fr. 49. 2) cf. Juv. 6.212 sq. 3) 272 sq.
4) cf. pag. 40. 5) fr. 49.
6) De servis tractandis noster idem sentit ac Seneca quo nemo philosophus sortem illorum hominum infelicium aequius iudicabat. (Zeller, III. 1[3] p. 300; Siedler, Die relig.-sittl. Weltanschauung des Philos. Seneca, Fraustadt 1863, p. 20). Graviter iis irascitur, qui servos, quod paululum peccaverint, atrociter puniunt flagellis nec respiciunt

animas servorum et corpora nostra
materia constare . . . paribusque elementis. 14.16.

(cf. 9.5; 6.222, 8.180) cf. Sen. ep. 47.11 *Nolo . . . de usu servorum disputare in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus.* § 10 *Vis tu cogitare . . . servum tuum . . . ex iisdem seminibus ortum . . . aeque spirare, aeque vivere?* etc. cf. Epict. I. 13; [Heracl.] ep. 9.1; (Petron. 71. B. p. 47.30 Ps. Phocyl. 224 sq.).
7) Perantiquum id crimen est cf. Hes. op. 373 sq. [Plaut. trin. 240 sq.]
8) 150 sq. 352 sq. 362 sq. 511.
9) cf. 6.482. 352. 10) v. 458. 11) 353 sq.
12) 353 cf. Sen. de const. 14.1. Clem. III. 27. 13) 459.

retur.[1]) cf. Perict. περὶ γυν. ἁρμ. ap. Stob. 85. 19 (M. p. 145) Καὶ συντιθέει δόλους ἀνδρὶ καὶ ψύθεα κατὰ πάντων μυθίζεται πρὸς τοῦτον[2]), ἵνα μούνη δοκέῃ διαφέρειν εὐνοίῃ[3]) καὶ τῆς οἰκίης κρατέῃ ἀργίην φιλέουσα. Ἐκ τουτέων γὰρ φθορὴ γίνεται συμπάντων, ὁκόσα αὐτῇ τε καὶ τῷ ἀνδρὶ ξυνά ἐστι κ. τ. λ. cf. Juven. 6. 362.

Prodiga non sentit pereuntem femina censum;
ac velut exhausta redivivus pullulet arca
nummus et e pleno tollatur semper acervo,
non usquam reputant, quanti sibi gaudia constent.

cf. v. 355 sq.

Quam ob rem mulieres maxime ita se ornent, comperimus vv. 465 sq.

Moechis foliata parantur,
his emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi eqs.

cf. 487 sq. 507. Eandem causam affert Clemens paed. III. 10 Κοσμοῦνται γὰρ ἵνα ἄλλοις ἀρέσκοιεν αἱ ἐν προσώπῳ καυχώμεναι.... τὴν μοιχαλίδα δείκνυσι τὰ ἀνθίσματα. cf. Perict. ap. St. 85. 19 (M. p. 146 1) Idem aegerrime ferunt, quod feminae faciebus fucandis et comendis capillis maxime operam dant: Clem. III. 5. Ταύτῃ μοι δοκοῦσιν αἱ χρυσοφοροῦσαι[4]) γυναῖκες τῶν πλοκάμων τοὺς ἐνουλισμοὺς ἀσκοῦσαι, χρίσματά τε παρειῶν καὶ ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν καὶ βαφὰς μετιοῦσαι τριχῶν καὶ τὴν ἄλλην βλακείαν κακομηχανώμεναι κ. τ. λ.[5]) Perictione monet, ne quis ita se gerat, ap. Stob. 85. 19 (p. 145 M.) οὐδὲ πλέξεται πολυτεχνίῃσι τρίχας, οὐδ' ἀλείψεται ἀραβίης ὀδμῆς ἐμπνέοντα[6]) οὐδὲ χρίσεται πρόσωπον λευκαίνουσα ἢ ἐρυθραίνουσα τοῦτο ἢ μελαίνουσα ὀφρύας τε καὶ ὀφθαλμούς κ. τ. λ.[7])

Jam vide, quid noster dicat vv. 457 sq.

461 . . . . . . *multo*
pane tumet facies aut pinguia Poppaeana | spirat
490 *disponit crinem* . . . . .
. . . . . *Psecas infelix* . . . .
‚Altior hic qua re concinnus?' Taurea punit
continuo flexi crinem facinusque capilli.
496 *extendit pectitque comas et volvit in orbem.*
501 . . . . . *Tanta est quaerendi cura decoris;*
tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
aedificat caput eqs.[8])

---

1) cf. 11. 188. v. Sen. rem. fort. 16. 7; de vit b. 17. 2. Lucr. IV 1125 sq. Phintys ap. Stob. 84. 61ª p. 65. Plut. praec. coniug. 48. Clem. paed. III. 13 [Varr. fr. Men. 283; Tert. de cult. fem. I. 4 sq.

2) 271 sq. 3) 275 sq. 4) cf. v. 482. 5) Clem. II. 104, 108.

6) cf. v. 466.

7) cf. Sen. ad Helv. 16. 4; Nicostr. ap. Stob. 84. 62 (M. p. 66[21]); [Lucian.] amor. 39 sq. [Tert. de cultu fem. I. 2; II. 7].

8) Mira similitudo observatur in ea saturae particula ac Senecae loco, quem supra laudavi (p. 28). Idem enim quod Juvenalis feminis Seneca exprobrat viris (brev. v. 12. 3).

De ancillis ministrisque simili modo ac Juvenalis Clemens loquitur III. 26: κομμῶται[1]) δὲ καὶ κομμώτριαι περὶ τὰς γυναῖκας ἀμφιπολεύουσιν, αἱ μὲν τὰ κάτοπτρα, αἱ δὲ τοὺς κεκρυφάλους, ἄλλαι τοὺς κτένας, εὐνοῦχοι πολλοὶ καὶ οὗτοι μαστροποί[2]) cf. Juv. vv. 366 sq.

Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia semper
oscula delectent et desperatio barbae etc.

cf. 1. 22. Inter dominae servos in Senecae quoque libello enumeratur fr. 51: *in longam securamque libidinem exsectus spado; sub quibus nominibus*, inquit, *adulteri delitescunt.* cf. fr. 64. Quam ob causam merito interrogat Seneca fr. 53: . . . *quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit . . . . difficile custoditur, quod plures amant.* Idem conqueritur Juv. v. 347:

‚Pone seram prohibe‘. Sed quis custodiet ipsos
custodes? Cauta est et ab illis incipit uxor . . . .

Superbae matronae, quod nobilitate gloriaque gentis se iactent vehementer vituperantur vv. 161—184. Quae verba non nimis differunt ab iis, quae faciunt Plutarchus personatus et Perictione philosopha.[3]) Ille optimum esse ducit de ed. puer. c. 19 ἐγγυᾶσθαι . . . . τοῖς υἱοῖς γυναῖκας μήτε εὐγενεστέρας πολλῷ μήτε πλουσιωτέρας.[4]) cf. Juv. 167:

Malo Venusinam quam te, Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
grande supercilium et numeras in dote triumphos eqs.

Nocturna iurgia lecti a plerisque inimicis sexus feminei commemorantur. Noster haec praebet: 265

Semper habet lites alternaque iurgia lectus,
in quo nupta iacet, minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride peior,
cum simulat gemitus occulti conscia facti,
aut odit pueros aut ficta paelice plorat etc.

cf. Nicostr. ap. St. 84. 63 (M. p. 67) Ἐν ὕπνῳ καὶ ἐν τῇ εὐνῇ μάλιστα οἱ ἄνδρες ἐξαπατώμεθα · φυλακτέον δὲ ἑσπέραν μὲν κολακείας . . . ἕωθεν δὲ . . . θορύβους καὶ κραυγάς. — Sen. fr. 49: *Deinde per*

---

1) v. 477.
2) cf. Clem. III. 5, 29. — Homines *turpes similesque cinaedis* animos compotricum tantopere regere, ut eorum consilio et nubant et divortia faciant, legimus in particula, quae uno codice Bodl. Canon. 41 nuper collato tradita est, v. 17 (v. Rh. M. 1899 p 485). — Munera hominis *obscenum professi* auctor obscure significat v. 4 sq.
3) ap. Stob. 85. 19 (M. p. 146. 4).
4) [cf. Cleobuli dicta ap. Stob. I. 172 (H. p. 113. 5)]; ambitiosae castigantur Sen. ad Helv. 14. 2.

noctes totas garrulae conquestiones: ‚illa ornatior procedit in publicum,[1] *haec honoratur ab omnibus . . . . cur adspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti?'* cf. fr. 60.[2]) Rixae uxoris brevius perstringuntur 35 sq.

. . . . . melius . . . . .
pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
nulla iacens illic munuscula, nec queritur quod
et lateri parcas nec quantum iussit anheles.[3])

Mulieres meretricum more cum affectu et motu coitum exercere Lucretius quoque vetat IV. 1264 sq.[4]) Ut in conubio coniuges a libidine temperent, praeter alios Seneca[5]) Philo, Musonius, Clemens postulant.[6])

Quam lascive et in domibus et in publico feminae vinolentae comissentur,[7]) Juvenalis cum ira et studio ostendit vv. 286—345 (cf. 11. 186). De ebrietate earum supra nonnulla disputavi[8]); nunc pauca afferam ex eis, quae Philo de iis dicit, qui etiam naturae leges laedunt; haec enim omnia in mulieres quoque a nostro denotatas cadunt. spec. leg. III. 8. (II. 307) Ἀλλὰ γὰρ ἔνιοι τὰς Συβαριτῶν[9]) καὶ τὰς τῶν ἔτι λαγνιστέρων ἐπιθυμίας ζηλώσαντες τὸ μὲν πρῶτον ὀψοφαγίαις[10]) καὶ οἰνοφλυγίαις[11]) καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς γαστρὸς καὶ μετὰ γαστέρα ἡδοναῖς ἐνησκήθησαν, εἶτα κορεσθέντες ἐξύβρισαν . . . ὡς ὑπὸ φρενοβλαβείας λυττᾶν[12]) καὶ ἐπιμεμηνέναι μηκέτι ἀνθρώποις, εἴτ' ἄρρεσιν εἴτε θηλείαις ἀλλὰ καὶ ἀλόγοις ζῴοις. Ὥσπερ ἐν Κρήτῃ φασὶ . . . Πασιφάην ταύρου ἐρασθεῖσαν . . . cf. Juv. 6. 334 sq. . . .

et desunt homines, mora nulla per ipsam
quominus imposito clunem summittat asello[13]).

Quod mulieres ad eam licentiam progrediuntur, ut aliae cum aliis stupra faciant (cf. v. 311), in libro quoque Ps. Lucianeo, qui inscribitur ἔρωτες,[14]) mulieribus crimini datur cap. 28.

Mysteria earum[15]) ab eodem auctore in suspicionem vocantur cap. 42: Εὐθὺς ἀπὸ τῆς οἰκίας ἔξοδοι, καὶ πᾶς θεὸς ἐπιτρίβων τοὺς γεγαμηκότας, ὧν ἐνίων οἱ κακοδαίμονες ἄνδρες οὐδὲ αὐτὰ ἴσασι τὰ ὀνόματα κ. τ. λ. . . . τελεταὶ δὲ ἀπόρρητοι καὶ χωρὶς ἀνδρῶν ὕποπτα

1) [cf. 6. 152]. 2) cf. Plut. praec. coniug. 39 (cf. cap. 3); Sen. de brev. vit 3. 2. 3) [Luc. conv. 39]. 4) cf. Plut. praec. coniug. 7; Clem. paed. II. 93
5) fr. 85.
6) cf. Wendland, Philo etc. p. 35.
7) cf. Sen. ep. 95. 21 [Luc. person. am. 12].
8) cf. pag. 22. 9) cf. 6. 296. 10) cf. v. 302. 11) 303, 319, 426. 12) 314 sq.
13) cf. Sen. fr. 66; Nicostr. περὶ γάμου ap. Stob. 74. 65 (p. 69 M) [Luc. asin. 50 sq. Ps. Phocyl. 188].
14) Adversarios philosophorum argumentatione usos in hoc dialogo altercari Praechter comprobavit, Berl. philol. Wochenschr. 1896 p. 870 Arch. für Gesch. der Philos. 1898 p. 516. (cf. Ps. Phoc. 192.)
15) 314 sq. cf. cap. XIV.

μυστήρια κ. τ. λ. Itaque Phyntis quoque eas iubet (ap. St. 74. 61 p. 64 M), μὴ χρέεσθαι τοῖς ὀργιασμοῖς καὶ ματρωσμοῖς,[1]) ὅτι μέθας καὶ ἐκστάσιας ψυχᾶς ἐπάγοντι καὶ θρησκεύσιες αὗται[2]). cf. Juv. 315 sq. Etiam viros ad sacra feminarum salacitate ardentium arcessi legimus vv. 327 sq.

Tunc prurigo morae impatiens, tum femina simplex
ac pariter toto repetitus clamor ab antro
,iam fas est, admitte viros' etc.

De talibus orgiis Plutarchus cogitare videtur praec. coniug. 19 περιέργοις δὲ θρησκείαις καὶ ξέναις δεισιδαιμονίαις ἀποκεκλεῖσθαι τὴν αὔλειον· οὐδενὶ γὰρ θεῷ ἱερὰ κλεπτόμενα καὶ λανθάνοντα δρᾶται κεχαρισμένως ὑπὸ γυναικός. (cf. Juv. 511 sq.) Magis ad Juvenalis versus convenit Min. Fel. 25. 11. *Ubi autem magis a sacerdotibus quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? Frequentius denique in aedituorum cellulis quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur* .cf. Juv. 6.345.

nunc ad quas non Clodius aras?
488 . . . . . *exspectatur in hortis*
aut apud Isiacae potius sacraria lenae.

cf. v, 604; 9. 24. —

Feminas in publicum prodeuntes et cum viris colloquentes noster cum paternum morem respiciat, acriter respuit vv. 398 sq.[3])

Sed cantet potius quam totam pervolet urbem
audax et coetus possit quae ferre virorum
cumque paludatis ducibus praesente marito
ipsa loqui recta facie siccisque mamillis etc.

Cum Philone eo consonat, quod is quoque eas domo discedere vetat de spec. leg. III. 31 (II. 327). Ἀγοραὶ καὶ βουλευτήρια καὶ δικαστήρια καὶ θίασοι καὶ σύλλογοι πολυανθρώπων ὁμίλων καὶ ὁ ἐν ὑπαίθρῳ βίος διὰ λόγων καὶ πράξεων, κατὰ πολέμους καὶ κατὰ εἰρήνην, ἀνδράσιν ἐφαρμόζουσι· θηλείαις δὲ οἰκουρία καὶ ἔνδον μονὴ κ. τ. λ. . . . μηδὲν οὖν ἔξω τῶν κατ' οἰκονομίαν πολυπραγμονείτω γυνή, ζητοῦσα μοναυλίαν, μηδ' οἷα νομὰς κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐν ὄψεσιν ἀνδρῶν ἑτέρων ἐξετάσθω. cf. Clem. paed. III. 10. Δεῖ γὰρ αὐταῖς καὶ πλάνης ἐν ἱεροῖς[4]) καὶ τῆς ἐν ταῖς ἀμφόδοις διατριβῆς, ὡς πᾶσιν αὐτὰς γίνεσθαι καταφανεῖς. Seneca matris sororem miratur ad Helv. 19. 6, *quod per sedecim annos, quibus Aegyptum maritus eius obtinuit, numquam in publico conspecta est.*

---

1) cf. v. 314, 512. 2) p. 65. 29.
3) ὀλιγομυθίη-κόσμος γυναικί-(Democr. ap. St. 74. 38) desideratur in eis feminis 402—412 (340 sq.). Quarum curiositatem iam Simonides Amorg. illudit v. 13 sq. c. Juv. 402, 408, 412. (cf. Theophr. Stob. ecl. II. 31. 31 W. p. 207; Juv. 434 sqq.) 4) [cf. v. 489; 9. 24.]

Mulieres in balneis impudice se gerentes Clemens gravissime incusat III cap. 5. cf. § 32 αἱ δὲ μὴ εἰς τοσοῦτον ἀπερυθριῶσαι ... ἰδίοις οἰκέταις συλλούονται καὶ δούλοις ἀποδύονται γυμναὶ καὶ ἀνατρίβονται ὑπ' αὐτῶν κ. τ. λ. cf. Juv. 419 ......

callidus et cristae digitos impressit aliptes
ac summum dominae femur exclamare coegit.

cf. 374 sq.

Superstitio feminarum[1]) vituperatur vv. 511—594 nec nulla sunt, quae etiam a philosophis iis crimini vertuntur. Ut Seneca fr. 52 *anus et haruspices et hariolos* ab iis domum recipi breviter attingit. Plutarchus quoque eas incantamentis uti vetat coniug. praec. 48 φαρμάκων ἐπῳδὰς οὐ προσδέξεται τοῖς Πλάτωνος ἐπᾳδομένη κτλ. cap. 5 ..... αἱ φίλτρα τινὰ καὶ γοητείας ἐπιτεχνώμεναι τοῖς ἀνδράσι, καὶ χειρούμεναι δι' ἡδονῆς αὐτούς, ἐμπλήκτοις καὶ ἀνοήτοις καὶ διεφθαρμένοις συμβιοῦσιν cf. Juv. 610 sqq.

Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit
philtra, quibus valeat mentem vexare mariti
et solea pulsare natis.

Adicio verba nonnulla ex paedagogo Clementis sumpta: III 28 περιφέρονται δὲ αὗται ἀνὰ τὰ ἱερὰ ἐκθυόμεναι καὶ μαντευόμεναι, ἀγύρταις καὶ μητραγύρταις[2]) καὶ γραίαις[3]) βωμολόχοις οἰκοφθορούσαις[4]) ὁσήμεραι συμπομπεύουσαι .... φίλτρα ἅττα καὶ ἐπῳδὰς παρὰ τῶν γοήτων ἐπ' ὀλέθρῳ γάμων ἐκμανθάνουσαι καὶ τοὺς μὲν ἔχουσι τῶν ἀνδρῶν, τοῖς δὲ ἔχονται, ἄλλους δὲ αὐταῖς οἱ μάντεις ὑπισχνοῦνται κτλ. cf. 590 sq.

In extrema saturae parte iis convicia facit, quae partus abigunt[5]) aut spurios supponunt[6]) ac maritos[7]) privignos suosque liberos veneno necant:

594 *Sed iacet aurato vix ulla puerpera lecto.*
Tantum artes huius, tantum medicamina possunt,
quae steriles facit atque homines in ventre necandos
conducit etc.

Laudat Seneca matrem, quod hoc scelus non commiserit, ad Helv. 16. 3 *Numquam te fecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem, puduit. Numquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum abscondisti quasi indecens onus, nec intra viscera tua conceptas spes liberorum elisisti.* Idem vitium impugnant Philo[8]), Musonius[9]), Clemens paed. II. 96: κατὰ φύσιν δ' ἂν ἡμῖν συγχωροίη ὁ βίος ἅπας κρατοῦσι τῶν ἐπιθυμιῶν ἄνωθεν

---

1) cf. cap. XIV.
2) 511 sq. 3) 542 sq. 4) cf. 511, 519, 546.
5) 592 sq. 6) 602 sq. 7) cf. 1.70, 5.147.
8) De spec. leg. III. 20. (319); de human. 17 sq. — II. 630 (ap. Euseb. praep. ev. VIII. 7). 9) Ap. Stob. 75.15 (M. p. 74).

μὴ κτείνουσί τε τὸ ἐκ προνοίας θεϊκῆς φυόμενον τῶν ἀνθρώπων γένος κακοτέχνοις μηχαναῖς· αὗται γὰρ πορνείας ἐπὶ καλύμματι τοῖς ἐς παντελῆ κατασπῶσι φθορὰν φθορίοις συγχρώμεναι φαρμάκοις ἐξαναλίσκουσιν ἅμα τῷ ἐμβρύῳ τὴν φιλανθρωπίαν.[1])

Mulieres maritis molestis sine ulla dubitatione venena parare Seneca dicit fr. 52, ep. 119. 6. Idem exempla Clytaemestrae et Eriphylae affert. fr. 66: *Quid referam Pasiphaen, Clytaemestram et Eriphylam, quarum .... altera occidisse virum ob amorem adulteri, tertia prodidisse Amphiaraum et saluti viri monile aureum praetulisse* cf. Juv. 655.

Occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae
mane; Clytaemestram nullus non vicus habebit.

Quamvis ex priscis temporibus homines novercarum odia in liberos mariti reprehendere soliti sint, tamen philosophi populares de hoc peccato pauca verba fecisse videntur. Seneca Ovidii locum laudat d. ir. II. 9. 2, ubi talium facinorum mentio fit. Liberis nequissimas homines lucri causa insidiari plerumque in diatribis, in quibus agitur de avaritia, legimus.[2])

Quod Juvenalis id maxime feminis obicit, demonstrat, quanto odio in eas inflammatus sit. Alia quoque vitia profert[3]), quae tam rara erant, ut ab aliis plane neglegerentur. Nec dubium videtur, quin hic suae indignationi summopere indulserit. Quam impudicas mulieres in theatro se praeberent, sine dubio ipse videbat. Ac multa alia conspicere et audire poterat; ingens est famae vis; multa etiam rerum scriptores memoriae prodebant.[4]) Itaque vereor, ut certo probari possit nostrum exemplar quoddam imitari.

Quoniam autem cognovimus et in libris, in quibus de matrimonio agitur, et in aliis philosophorum dissertationibus vitia mulierum eodem fere modo castigari, nihil est, quod Juvenalem auctorem quendam secutum esse negemus, quem Senecam fuisse — id quod Felix Bock suspicatur[5]) — vix disceptari potest. Recte Friedlaender monet[6]) concentus tales esse, quales ipsa materia efficiantur. Neque enim nulli sunt loci communes ut vv. 35, 268 sq. (Sen. fr. 49); v. 178 (Sen. fr. 51). Eriphyla autem et Clytaemestra (v. 655) celeberrima coniugum perfidarum exempla sunt, quae pueri in scholis discebant. Accedit, ut Bock complures locos contulerit, qui parum inter se respondent ut Juv. vv. 351, 353, 366 sq. et Sen. fr. 51. Haudquaquam a nostro dicitur a marito servis uxoris ullum

---

1) Ps. Phoc. 184 cf. Min. Fel. 30. 2 apocal. Petri p. 6.72 ap. Dieterich Nekyia. — cf. Praechter, Hier. p. 86; Wendland, Ph. etc. p. 37.

2) cf. pag. 19 sq. 3) cf. 242—267.

4) De ratione, quae Juvenali cum rerum scriptoribus intercedit, Gercke egit Seneca-Studien 187 (ann. phil. suppl. 22).

5) Stud. Lips. XIX (1899) p. 44. 6) p. 281.

honorem afferendum esse; ut autem ancillas et ministros divitis feminae enumeraret, Juvenali Senecae librum adire non opus fuit. — Valde differunt Juv. vv. 594 sq. et Sen. fr. 85: viros Juvenalis minime vituperare vult, quod uxores partum abigere cogant aut ipsi fetum perdant. At licet consensus, qui intercedit Juvenali cum Seneca vel Theophrasto, non sufficiat ad plane demonstrandum nostrum sua ex illius libello deprompsisse, tamen hunc librum ei notum fuisse non veri dissimile est. Verum cavendum est, ne de uno auctore cogitemus; haud scio, an liceat iure conicere etiam nonnulla ex Musonii diatribis prodisse, cum satura Juvenalis non raro spiret sententias Clementis et ipsius Musonii, quem ille in paedagogo auctorem secutus est.[1]) A philosophis autem plerisque noster eo differt, quod ipse nulla dat coniugalia praecepta — id quod facit Musonius[2]), ut pro multis afferam unum exemplum —, quae supervacanea ei videntur, qui in aquam praecipitare mavult quam uxorem ducere.[3]) Accedit quod dulcedines matrimonii[4]) decantare non est poetae satirici. — Sed nunc mea minus interest eruere, quos fontes noster adhibuerit, quam id statuere eum hic quoque cum popularibus philosophis consentire, qui aperiunt feminarum malitiam.

At quaerat quispiam, an Juvenalis hic pendeat a rhetoribus?[5]) Quamquam oratio etiam in hac satura figuris splendet ac praestat magna efficacitate, tamen hoc carmen declamationem oratoriam non esse sola ex dispositione intellegi potest. Quae tam vitiosa est,[6]) ut credere cogamur eum de industria illas licentias admisisse.[7]) Nihil, si voluisset, ei facilius fuisset quam singula cohaerentia suo ordine componere. Sed difficillimum mihi videtur certo enucleare, quapropter tanta negligentia in argumentis componendis usus sit. Ac primum deliberandum est Juvenalem non eum fuisse, qui tanto ingenio tantaque arte excelleret, ut eiusmodi vitia fugeret. Deinde considerare debemus satiricos sermonem vulgarem imitari, in quo de variis rebus ita, ut disputantibus singula veniunt in mentem, agitur. Nec dubium est, quin haec consuetudo e philosophorum diatribis[8]) in saturas Romanas irrepserit. Cum autem Juvenalis similes sententias atque illi proferat, eum etiam in hac re rationem eorum imitatum esse non immerito suspicamur. At priusquam hanc quaestionem diligentius subeamus, ad inceptum reverti oportet.

---

1) cf. pag. 19. 2) ap. Stob. 6. 23 (H. p. 286). 3) v. 32.
4) cf. Praechter, Hier. p. 78.
5) cf. pag. 35.
6) cf. Friedl. p. 278 sq.
7) Contraria enim est Quintiliani praeceptis: VII. prooem.; cap. 10 §§ 5 sqq. — § 16 *Neque enim partium est demum dispositio, sed in his ipsis primus aliquis sensus et secundus et tertius: qui non modo ut sint ordine conlocati, laborandum est, sed ut inter se vincti atque ita cohaerentes, ne commissura perluceat: corpus sit, non membra.* eqs.
8) Respice quaeso, quid Seneca de stilo epistolarum disserat ep. 75.

Longum est enarrare, quomodo reliqua omnia vitia impugnet. Itaque nunc mihi satis est tres saturas tractare, quae praeter decimam quartam maxime ad philosophiam popularem spectare mihi videntur. —

IX.

Vana hominum desideria

decima satura vituperantur. Quantopere hic noster cum philosophis popularibus conspiret, neminem fugiet.[1]) Neque enim fieri potuit, quin Cynici, continentiam maxime esse expetendam censentes eos vehementer insectarentur, qui suis contenti esse nescientes aliena appeterent. Idem autem Horatius[2]) et Persius[3]) disseruerunt. Tamen cum Juvenale adeo non congruunt, ut eum ad carmina illorum se non applicavisse apertum sit.[4]) Utrum autem rhetoribus[5]) hic an philosophis plura debeat, nunc in dubio relinquam. Sed si finem saturae aspexerimus, elucebit poetam ipsum moralia praecepta more philosophorum dare voluisse. Et profecto nonnullas similes sententias e Senecae scriptis sumptas Friedlaender congessit[6]); idem breviter annotavit nostrum iisdem exemplis uti, ut illustraret orationem. Tamen Lehrsius hanc saturam fundamento philosophico carere iudicavit.[7]) Quod ut examinemus, singula perscrutabimur et cum philosophorum verbis comparabimus.

Primum Juvenalis aegre fert, quod homines vera bona a malis non discernant.[8]) Quod saepissime a philosophis disputatum esse nemo ignorat. Satis sit haec exempla afferre: Sen. ep. 45. 6 *Pro bonis mala amplectimur; optamus contra id, quod optavimus; pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis . . . . . doce, quemadmodum hanc similitudinem possim dinoscere* eqs. cf. ep. 118 5 sq. — 7 *Omnes autem male habet ignorantia veri; tamquam ad bona feruntur decepti rumoribus; deinde*

---

1) cf. [Plat.] Alc. II; Luc. Icarom. 25, nav. 16 sq. Euseb. ap. Stob. I. 103 (II. p. 52). Sen. Herc. fur. 162 sq. [Clem. Al. strom. VII. 14 sq. Petr. 88]. — Plat. op. ed. Stallbaum V. 1 p. 344; Luc. op. ed. Fritzsche II. 2 p. 3.

2) sat. I. 1 cf. R. Heinze, de Hor. B. imit. p. 15.

3) sat. 2.

4) Juvenalis saturam ac Maximi Tyrii dissertationem undecimam (XXX) ad eundem auctorem reducendas esse mihi non satis probatur, cum id quod Fritzsche ad hanc coniecturam confirmandam affert (Luc. op. II. 2 p. 4), ipsa materia necessario efficiatur. Varia enim sunt vota hominum, uberius igitur pertractanda; vera bona perpauca sunt et una virtute acquirenda. Quod autem gravissimum est, satirici semper erroribus vitiisque castigandis magis student quam animis errantium corrigendis. Praeterea sententiae, quae inter ambos congruunt, loci communes sunt.

5) cf. Hertzberg in comment. versionis ab H. et Teuffelio factae, pag. 282.

6) p. 451.

7) cf. Friedl. p. 453.

8) v. 2 sq.

mala esse aut inania aut minora quam speraverint, adepti ac multa passi vident. Maiorque pars miratur ex intervallo fallentia et volgo bona pro magnis sunt. Hoc ne nobis quoque eveniat, quaeramus, quid sit bonum. Diog. L. VI. 42. ⟨Διογένης⟩ ἐνεκάλει τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῆς εὐχῆς, αἰτεῖσθαι λέγων αὐτοὺς ἀγαθὰ τὰ αὐτοῖς δοκοῦντα καὶ οὐ τὰ κατ' ἀλήθειαν. (cf. Clem. strom. VII. 44 p. 307 Sylb.)[1])

Deinde dolet, quod sine ratione homines cupiant ac metuant.[2]) Aeque Seneca postulat ep. 82. 6, ut unusquisque *sciat . . . , quid petat, quid evitet, quae sit illa ratio, quae adpetenda ac fugienda discernat, qua cupiditatum mansuescit insania, timorem saevitia compescitur.* Idem dicit (philosophia) discendum esse, *quomodo minus cupiam, minus timeam.*[3])

Nocitura homines cupere[4]) eosque votorum precumque saepe paenitere[5]) crebro commemorant philosophi. cf. Sen. ep. 22. 12: *Emerge ad meliorem vitam propitiis dis, sed non sic, quomodo istis propitii sunt, quibus bono ac benigno voltu mala magnifica tribuerunt, ad hoc unum excusati, quod ista quae urunt, quae excruciant*[6]), *optantibus data sunt.*[7]) (cf. ep. 31. 2; 115. 17) [Plat.] Alc. II. 142 C: οἱ δὲ πολλοὶ οὔτε ἂν τυραννίδος[8]) διδομένης ἀπόσχοιντο ἂν οὔτε στρατηγίας[9]) οὐθ' ἑτέρων πολλῶν, ἃ παρόντα βλάπτει μᾶλλον ἢ ὠφελεῖ,[4]) ἀλλὰ κἂν εὔξαιντο ἂν γενέσθαι, εἴ τῳ μὴ παρόντα τυγχάνει ὀλίγον δὲ ἐπισχόντες ἐνίοτε παλινῳδοῦσιν, ἀνευχόμενοι ἅττ' ἂν τὸ πρῶτον εὔξωνται. Totius saturae argumentum his verbis continetur: Sen. ad Pol. 9. 5: *Omnia ista bona, quae nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia aliaque complura, ad quae generis humani caeca cupiditas obstupescit . . . eosdem . . . ipsos, quos exornant, et premunt.*[6]) *Plus minantur quam prosunt.*[4]) — Ac primum noster eos uberius perstringit,[10]) qui pecuniae aviditate flagrant. Id a philosophis quoque, qui nihil a dis peti volunt nisi bona ac necessaria, maxime vituperatur.[11]) cf. Luc. Iup. ref. 1. Ἐγὼ δέ, ὦ Ζεῦ, τὰ μὲν τοιαῦτα οὐκ ἐνοχλήσω σε πλοῦτον καὶ χρυσίον καὶ βασιλείας αἰτῶν, ἅπερ εὐκταιότατα τοῖς ἄλλοις κ. τ. λ.[12]) Omitto eos versus, quibus pericula divitibus instantia describit, quoniam de hac re supra satis est disputatum.[13])

Ut autem a philosophis pecuniae et honorum cupiditates sollemniter coniunguntur,[14]) ita noster ad vituperationem eorum se convertit, qui **potentiam** ac gloriam affectant. — Opes, famam, potentiam per se minimi aestimandas esse Plutarchus disserit de tr. an. 1. πόθεν γε δὴ πρὸς ἀλυπίαν ψυχῆς καὶ βίον ἀκύμονα χρημάτων[15])

---

1) cf. Sen. ep. 82. 6; 94. 33; 110. 5 sq. (ben. IV. 33. 2; rem. fort. 10. 10) Epict. II. 3. [Plat.] Alcib. II p. 150 D. E, 141 A. 2) v. 4 sq.
3) cf. ep. 115. 18, 121. 4. 4) v. 8. 5) 5 sq. 6) v. 13. 7) v. 7 (111).
8) [cf. v. 90 sq.] 9) 8; 94 sq. 10) 12 sq. 11) cf. Zeller II. 1[4] p. 329.
12) ⟨ cf. Plato, Phaedr. 279 BC. ⟩ 13) pag. 10 sq. 15.
14) cf. Norden, annal. phil. suppl. XVIII p. 339. 15) Juv. 10. 13 sq.

ὄφελος ἢ δόξης[1]) ἢ δυνάμεως ἐν αὐλαῖς,[2]) ἂν μὴ τὸ χρώμενον εὐχάριστον ᾖ τοῖς ἔχουσι καὶ τὸ τῶν ἀπόντων μὴ δεόμενον ἀεὶ παρακολουθῇ; cf. cap. 12 οὐ γὰρ πλούσιοι μόνον ὁμοῦ καὶ λόγιοι[3]) καὶ ἰσχυροὶ[4]) εἶναι καὶ φίλοι βασιλέων[5]) καὶ πόλεων ἄρχοντες ἀξιοῦσιν κ. τ. λ. Qui summos magistratus appetunt, Juvenalis vituperat vv. 90 sq. Viros qui sic ambitiosos se praebent, Seneca reprehendit de tranq. an 4. 5. *Non vis enim nisi consul aut prytanis aut sufes administrare rem publicam* eqs. (cf. cap. 3. 4) — Plato personatus Socratem disserentem fingit, quam non expetendum sit summum civitatis imperium quantaque pericula iis immineant, qui plurimum valeant in republica[6]) et abutantur potentia: Alc. II. 141 A—C.[7])

Potentes ad superiores gradus semper ascendere velle Seneca lamentatur de ben. VII. 3. 1 *Quem invenies, cui modum imperii satietas fecerit, qui non vitam aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est; quicquid cupiditati contingit, penitus hauritur et conditur nec interest, quantum eo, quod inexplebile est, congeras.* cf. Juv. vv. 104—111.

Nam qui nimios optabat honores
et nimias poscebat opes, numerosa parabat
excelsae turris tabulata, unde altior esset
casus et impulsae praeceps inmane ruinae.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit et illum,
ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus
magnaque numinibus vota exaudita malignis.

Confragosam in fastigium dignitatis viam esse exponunt Seneca ac Lucretius:[8]) S. ep. 84. 11 *Relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita est, ne quem ante se videat quam ne post se. Laborat invidia et quidem duplici* etc. cf. v. 56 sq. — Lucr. V. 1120 sq.

At claros homines voluerunt se atque potentes,
ut fundamento stabili fortuna maneret
et placidam possent opulenti degere vitam:
nequiquam, quoniam ad summum succedere honorem
certantes iter infestum fecere viaï,
et tamen e summo, quasi fulmen deicit ictos
invidia interdum contemptim in Tartara taetra;
. . . .

1) 114—187. 2) 56—107 (Arist. Eth. N. VIII. 8. 2.) 3) 9 sq. 114—132 (Antisth. St. ecl. II 31. 76). 4) cf. 10 sq. A Cynicis maxime athletarum studia impugnata esse Norden ostendit pag. 298—306. 5) cf. 91 sq. (cf. sat. 4.)

6) Sapienti ad rem publicam non accedendum esse Zeno, Cleanthes, Chrysippus apud Senecam (tr. an. 1. 10) probant .... *sequor Zenonem, Cleanthem, Chrysippum, quorum tamen nemo ad rem publicam accessit et nemo non misit.* — Epict. IV. 6. 27 III. 22. 27. 7) cf. Juv. v. 111; [Pl.] 141 A.

8) cf. Philo de Abr. 45. (II. 38.)

1136 *Ergo regibus occisis subversa iacebat*
pristina maiestas soliorum et sceptra superba,

cf. Juv. v. 112:

Ad generum Cereris sine caede ac vulnere pauci
descendunt reges et sicca morte tyranni.[1])

Quam caduca et incerta summa potestas sit, Seiani exemplo illustratur. Cuius fortuna quomodo mutata sit, Seneca breviter refert de tranq. an. 11. 11: *Honoribus summis functus es: numquid aut tam magnis aut tam insperatis aut tam universis quam Seianus? Quo die illum senatus deduxerat, populus in frusta divisit. In quem, quicquid congeri poterat, di hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.*[2]) Idem dicit (ep. 55. 3) Seiani amorem post mortem eius non minus periculosum fuisse quam antea odium. cf. Juv. vv. 68 sq. 84 sq. Etiam aliis locis Senecam Seiani crudelitatis mentionem facere[3]) silentio praeterirem, nisi ex ea re intellegeretur philosophorum fuisse talibus exemplis exornare orationem.[4])

Pergit Juvenalis monstrare, quantae calamitati hominibus ambitio fuerit, Crassique, Pompeii, Caesaris exempla affert. Eorundem gloriae honorumque cupiditas a Seneca vituperatur et exitio eorum opponitur ep. 94, 64: *Ne Gneo quidem Pompeio externa bella ac domestica virtus aut ratio suadebat, sed insanus amor magnitudinis falsae; modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendas piratas ac maria pacanda vadebat; hae praetexebantur causae ad continuandam potentiam. Quid illum in . . . . . . omnis Asiae angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur.*[5]) *Quid Caesarem in sua fata pariter ac publica inmisit?* — q. n. V. 18. 10 *Quo usque nos mala nostra rapuerunt? . . . sic Parthis avaritia Crassum dabit; non horrebit diras revocantis tribuni, non tempestates longissimi maris* etc.[6])

Tyrannos autem poenam raro effugere[7]) etiam Cicero memorat d. off. 2. 23. Omnino declamationes in tyrannos, quae sescenties

---

1) Reges et tyrannos apud inferos versantes Lucianus exagitat mort. dial. 1. 1: καὶ μάλιστα ἐπειδὰν ὁρᾷς ⟨ ἐν Ἅιδου ⟩ . . . σατράπας καὶ τυράννους οὕτω ταπεινοὺς καὶ ἀσήμους . . . gall. 25 τὸ δὲ μέγιστον ὑφορᾶσθαι δεῖ μάλιστα τοὺς φιλτάτους κἀξ' ἐκείνων ἀεί τι δεινὸν ἐλπίζειν ἥξειν. Ὁ μὲν γοῦν ὑπὸ τοῦ παιδὸς ἀπέθανεν ἐκ φαρμάκων (cf. Juv. 14. 255; Dio Chr. 6. 35 sq. p. 102), ὁ δὲ καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ ἐρωμένου, τὸν δὲ ἄλλον ἴσως ὅμοιος τρόπος θανάτου κατέλαβεν. cf. Men. 14. — cf. Plin. n. hist. VII. 132. — v. Mayor 13 sat. of Juv. II[2] p. 109.

2) cf. Juv. vv. 66 sq. 85 sq. 90 sq. 104 sq. 3) cf. ind. Haase.

4) Nihilo secius longe abest, ut Juvenalem id quoque de exemplari quodam prompsisse contendam. Sed videmus id nostro cum philosophis commune esse, quod singulorum consuetudines condicionesque observando, quomodo vitam degant legentes instituit. (cf. E. Weber, De Dione Chr. Cyn. sect. Lips. stud. X p. 93.)

5) [cf. Sen. de tr. an. 16 1.] 6) cf. ep. 4. 7. 7) cf. v. 112 sq.

exstant apud rhetores, a philosophis quoque receptas esse non ignotum est.[1])

Poeta postquam his exemplis etiam summam potentiam et auctoritatem incommodo esse monstravit, **eloquentiam** quoque maxime a multis optatam Ciceroni ac Demostheni nihil profuisse admonet. Rhetoribus cum philosophis antiquitus controversias fuisse inter omnes constat. Quin etiam ii, qui multum debent arti oratoriae, eam parvi faciunt ut Dio[2]) et Seneca ep. 14. 11: *Forensis eloquentia et quaecumque alia populum movet adversarios habet.* Nonnullos eloquentiae fiducia prolabi idem scribit de tr. an. VI. 3. Neque tamen ipse prorsus spernit artem dicendi. Utque rhetorice scribit, ita saepius docet, quomodo philosophus dicere debeat, et Fabiani stilum a Lucilio vituperatum defendit.[3]) Quae cum ita sint, non miror, quod Juvenalis in ea ipsa particula, qua hominibus eloquentiae studentibus insultat, exemplis utitur apud rhetores pervulgatis.[4])

Ciceronis miserabilem mortem Seneca maeret de tr. an. 16. 1 *Sequetur pars, quae solet non immerito contristare .... ubi bonorum exitus mali sunt: ut ... cogitur ... Cicero clientibus suis praebere cervicem*[5]) cf. ad Marc. 20. 5; de ira II. 2. 3 Quem in re publica multas inimicitias suscepisse Seneca dicit de brev. v. 5. 1 *M. Cicero inter Catilinas, Clodios iactatus Pompeiosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum re publica et illam pessum euntem tenet, novissime abductus, nec secundis rebus quietus nec adversarium patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum detestatur* etc. cf. Juv. v. 122.[6]) —

Bellicam gloriam qui concupiscunt, poeta increpat vv. 133—187. — At priusquam in singula inquiramus, utile mihi videtur quam brevissime exponere, quid philosophi de gloria ipsa senserint.[7]) Ne repetam ea, quae Norden collegit (ann phil. suppl. XVIII p. 340[8]), haec Ciceronis Senecaeque testimonia affero: Sen. ep. 123. 16: *Gloria vanum et volubile quiddam est auraque mobilius.* (cf. Juv. vv. 163. 172. 185). In perturbationibus animi gloriae cupiditatem uumerant Stoici: *Chrysippus quidem et Diogenes .... ne digitum quidem*

---

1) Ar. eth. N. 1160 b 7. [Plat.] 141 D.E. Cic. off. II. 26. Sen. ben. VII. 19. 5, ir. II. 5. 1; clem. I 12, 19. 6, 26; II. 4 3 (cf. ind. tyr.). Philo II 640 sq. Plut. an vitios. ad infel. suffic. 2. Plut. adul. et am. 12. Epict. IV. 1. 86; M. Aur. 3. 16; 9. 29. Luc. Men. 17; Dio Chr. VI. 35 sq. p. 102 LXII; Max. Tyr. 35 (19), 1, 2. cf. Stob. flor. 49. — Juv. 4. 86 sq. 8. 81, 193, 211 sq. 10. 15 sq. Neronis flagitia in pueros formosos commissa castigat D. Chr. XXI. 6 p. 299 D. cf. Juv. 10. 306 sq. (Sen. fr. 34.) — v. E. Weber stud. Lips. X. 91.

2) cf. XXIV. 3 p. 310. 3) epp. 100, 52.

4) cf. [Quint.] decl. 268: Val. Max. III 4. E. 2; Luc. rhet. praec. 10 (Juv. v. 130).

5) cf. v. 120.

6) Plut. de se ips. citr. inv. laud. 4 p. 540 F. Demosthenes a Cicerone vituperatur Tusc. V. 103, quod eloquentiae fama elatior fuerit.

7) cf. de Arnim, Stoic. vet. fragmenta III fr. 159 sq.

eius causa porrigendum esse dicebant. (Cic. fin. III. 57.) — Cicero off. I. 68 *Cavenda . . . est*, inquit *gloriae cupiditas . . . nec vero imperia expetenda* etc. Operae pretium est adicere locum ἐκ τῶν κοινῶν Ἀριστοτέλους διατριβῶν[1]: Αἱ πλεῖσται στάσεις διὰ φιλοτιμίαν ἐν ταῖς πόλεσιν γίγνονται· περὶ τιμῆς γὰρ . . . οἱ δυνατώτατοι διαμφισβητοῦσι.[2]) cf. Juv. v. 142

patriam tamen obruit olim | gloria paucorum.[3])

Hannibalis, Alexandri, Xerxis exemplis allatis poeta demonstrat, quantae perniciei bella expeditionesque sint. Quae ex rhetorum schola sumpta esse notum est. At tamen totam saturam declamationem rhetoricam nominari posse nego, praesertim cum Juvenalis ipse tales nugas — ut omittam septimam saturam[4]) — in hoc ipso carmine illudat v. 166 sq.

I demens et saevas curre per Alpes,
ut pueris placeas et declamatio fias.

Ex his verbis apparere mihi videtur Juvenalem ipsum non egisse, ut componeret ostentandi causa declamationem inutilem. Eum tamen consuetudine rhetorum haec exempla congessisse, ut ostenderet, quam perversum esset potentiam gloriamque, longum vitae spatium formamque a dis precari non mirum est. Eiusmodi enim exemplorum multas dissertationes philosophicas plenas esse iam vidimus et videbimus nec opus est repetere, quantopere Seneca id genus dicendi commendet.[5])

Maximos imperatores, qui bellis famam gloriamque impetraverint, plerumque adversa fortuna uti, quod multis verbis noster docet, Plato person. monet 142 A ὅσοι στρατηγίας ἐπιθυμήσαντες ἤδη καὶ τυχόντες αὐτῆς οἱ μὲν ἔτι καὶ νῦν φυγάδες[6]). τῆσδε τῆς πόλεώς εἰσιν, οἱ δὲ τὸν βίον ἐτελεύτησαν κτλ. cf. 142 C. — Res ab Hannibale gestas in Ciceronis[7]) et Senecae scriptis moralibus saepius aut laudari aut

1) Ap. Stob. 45.21 (M. p. 207) cf. II. 31.26 (W. p. 151. 12).
2) cf. Plut. Stoic. rep. 33. 1.
3) v. 140 Juvenalis aegre fert, quod *maior famae sitis est quam virtutis.* Virtutem Cicero quoque gloriae opponit rep. VI. 25; scribit enim homines illecebris ipsius virtutis trahi ad verum decus oportere; *quid de te alii loquantur,* inquit, *ipsi videant* etc. 4) vv. 150 sq. (cf. 1.16 sq.).
5) cf. p. 8. Neque omnes Stoici orationem luminibus rhetoricis ornare nolebant. Posidonium quidem de consulatu suo commentarium *ornatius* scripturum esse Cicero sperabat ad Att. II. 1 (cf. Strab. p. 147). Idem in praefatione paradoxorum Catonem commemorat: 3 . . . *Cato enim de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de dis immortalibus, de caritate patriae Stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere, ego tibi illa ipsa . . . ludens conieci in communes locos.* Paradoxa itaque Ciceronis sunt clara specimina huius philosophiae popularis cum eloquentia coniunctae, quam colebant Seneca aliique atque etiam Juvenalis. (Kroll, Rh. M. LVIII. 581[1]).
6) cf. v. 160.
7) fin. 4.22 (cf. Juv. v. 155); Lael. 28; off. 1.38; div. 1.48; 2.52 cf. Dio Chr. XXV. 7 p. 313; LXIV. 24 p. 213. (Luc. dial. mort. 12).

vituperari quis nescit? cf. Sen. quaest. nat. III pr. 6. *quemadmodum Hannibal superiecerit Alpes*[1] *scribunt; quemadmodum confirmatus Hispaniae cladibus*[2] *bellum Italiae inopinatus intulerit*[3] *fractisque rebus*[4] *et post Carthaginem pertinax reges pererraverit*[5] *ducem promittens, exercitum petens; quemadmodum non desierit omnibus angulis bellum senex quaerere: adeo sine patria pati poterat, sine hoste non poterat.* Senecam hic aliisque locis[6] ob alias causas Hannibalis mentionem facere me non fefellit. Nec vero multum id nostra interest; minus enim monstrare volo philosophos easdem res tractantes iisdem exemplis quibus Juvenalem usos esse quam omnino eorum fuisse longe clarissimos viros aut imitandos aut despiciendos animis eorum qui legunt proponere. Itaque consentaneum est Alexandri aviditatem gloriae a philosophis saevissime carpi.[7] cf. Juv. 168—173.

Eam autem Diogenis continentiae plerumque[8] opponi adeo constat inter omnes, ut ex libris philosophorum similes locos afferre opus non sit. Ad hanc saturam magis quadrat Sen. ep. 119. 7 sq. *Post Dareum et Indos pauper est Alexander. Mentior: quaerit, quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in oceanum classes novas mittit et ipsa, ut ita dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturae satis est, homini non est: inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia . . . . Ille modo ignobilis anguli non sine controversia dominus tacto fine terrarum per suum rediturus orbem tristis est.* cf. v. 168.

Unus Pellaeo iuveni non sufficit orbis,
aestuat infelix angusto limite mundi etc.

Vitam eius non sine maestu et tristitia fuisse Seneca scribit ep. 113. 29.[9] Alexandrum ad inferos venientem Diogenes in Luciani dialogo mortuorum decimo tertio recipit, cum dicat eum mortuum nihil differre ab aliis hominibus. Τί τοῦτο, ὦ Ἀλέξανδρε, καὶ σὺ τέθνηκας καὶ ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἅπαντες;

cf. Juv. v. 172 *sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,*
quantula sint hominum corpuscula.

Postremo Xerxis, regis Persarum, ambitionem opprobrat vv. 173—187. Cuius Hellesponti traiectus et maris castigatio cum aliis tum philosophis semper argumento erat, quantam in perniciem superbia caecati homines incurrerent.[10] cf. Sen. de otio 4. 2: *Quid, tu putas tum, cum stolidus ille rex multitudine telorum diem*

1) v. 152. 2) cf. v. 151. 3) 154. 4) 159. 5) 161.
6) de ir II. 2, 5; 5. 4 ep. 51. 5, 7. (Q. N. V. 16. 4).
7) cf. Hirzel, Dial. II p. 75 3. Porro de Alexandri obtrectatoribus nonnulla disseruit Schwartz (Paul. Wiss. IV 1880 sq.).
8) cf. 14. 311—314 (Sen. ben. V. 4. 4; 6 1).
9) cf. de ben. VII 2. 5 sq. q. n. V. 18. 10; ep. 94. 62 sq. (v. ind. Haase).
10) cf. E. Weber, stud. Lips. X. p. 94, 96.

obscuraret, ullam sagittam in solem incidisse aut dimissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi?[1]) Interitus eius iusta poena nominatur d. ir. III. 16. 4: *Habuit . . . quem debuit exitum; victus et late longeque fusus ac stratam ubique ruinam suam cernens medius suorum cadavera incessit.* cf. Juv. vv. 185 sq.[2])

Sed qualis rediit? Nempe una nave, cruentis
fluctibus ac tarda per densa cadavera prora.
Has totiens optata exegit gloria poenas. —

Amentis esse **vitam longam** optare, cum senectus multas molestias habeat, discimus vv. 188—208. Plerosque philosophos de senectute non eadem sensisse certum est eamque a Cicerone in libro qui inscribitur Cato pulchre ac lepide defensam esse quis est, qui ignoret? Nec vero magna haec discrepantia videatur, si reputemus aliud esse senectutem aequo animo perferre, aliud eam anxie optare, quasi mors immatura ultimum malum sit. Propterea etiam Seneca a nostro non multum dissentit ep. 58, 32 sq., ubi exponit *senectutem . . ut non . . . concupiscendam, ita ne recusandam quidem.*[3]). Longam vitam per se non optimam esse Plutarchus person. censet cons. ad. Ap. καθόλου γὰρ χρὴ διανοεῖσθαι πάντα τινὰ καὶ πρὸς αὑτὸν καὶ πρὸς ἄλλον διεξιόντα μετὰ σπουδῆς, ὡς οὐχ ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος κ. τ. λ. Seneca ep. 101. 8 *Nihil est miserius,* inquit, *dubitatione venientium, quorsus evadant.*[4]) *Quantum sit illud quod restat aut quale, contracta mens inexplicabili formidine agitatur.* cf. Juv. v. 188

Da spatium vitae, multos da, Juppiter, annos,
hoc recto vultu, solum hoc et pallidus optas.

In eadem epistula Seneca Maecenatem spernit, qui omnia pati volebat, dummodo quam plurimos annos viveret: § 10 *Inde illud Maecenatis turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat et deformitatem et novissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus prorogetur . . . . . . 13. Quid tam foeda vitae mendicatio?* Senes deformes fieri debilesque eorumque vultum nemini iucundum esse legimus apud Juvenalem vv. 191 sq.

. . . . Deformem et taetrum ante omnia vultum
dissimilemque sui . . . .

---

1) cf. v. 182.

2) Lucianus Menippum Xerxi insultantem facit, quem Graecia metuebat, cum Hellespontum ponte iungeret et per montes navigaret. Dial. mort 20. 2. cf. Juv. 175 sq. Affero etiam alios locos, ubi Xerxes conculcatur: Cic. fin. II. 112; Sen. n. q. V. 18. 10, brev. v. 17. 2, ben. VI. 31; Phil. de somn. II. 17. Plut. de ir. coh. 5; Dio Chr. III. 31 p. 44. IV. 45 p. 72. XVII. 14 p. 276 XIII. 24 p. 248 Dind. Quam sollemnis in disputationibus philosophis is locus fuerit, docet Epict. III. 23. 37. — v. E. Weber, stud. Lips. X p. 94.

3) cf. Sen. brev. 1. 1; ep. 49. 10, 77. 20; rem. fort. 4. Cic. Tusc. I. 93. 94.

4) cf. 6. 556.

198 .... *cum voce trementia membra*
et iam leve caput madidique infantia nasi.
201 *Usque adeo gravis uxori natisque sibique* etc.[1])

Cum his versibus comparandus est Junci philosophi dialogus, in quo de senectute in utramque partem disputatur[2]): Stob. p. 85.21 (M.) οἱ δὲ ὁρῶντες αὐτὸν ⟨scil. τὸν γέροντα⟩, εἰ καὶ φίλοι καὶ οἰκεῖοι λέγοιντο, ἐπαχθὲς εἶναι νομίζουσι καὶ θέαμα ἀλγεινόν τε καὶ λυπηρὸν καὶ πολυχρόνιον. cf. pag. 84.5. Senex ab eodem repuerascens dicitur p. 85.7 κυφός τε ὢν καὶ ῥικνὸς[3]) καὶ ἄμορφος καὶ ἀδύνατος τῇ τε ψυχῇ[4]) κατὰ τὴν παροιμίαν παῖς πάλιν γεγονώς.[5])

Vitae oblectamentis senes orbari et aures oculosque hebescere Juvenalis monet vv. 203 sq.

Non eadem vini atque cibi torpente palato | *gaudia.*

cf. 229 sq. — Stob. p. 84.29 sq. Κεῖται γάρ που γήραϊ παρείμενος ἄσιτός τε καὶ ἄποτος καὶ ἀνέραστος, οὐδενὸς μὲν ξὺν ἡδονῇ μετέχων, τοῦ δὲ λυποῦντος ἀκριβῶς αἰσθανόμενος.[6]) cf. Juv. v. 213

Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
qui vix cornicines exaudiet atque tubarum
concentus? Clamore opus est, ut sentiat auris eqs.
227 ...... *ambos*
perdidit ille oculos et luscis invidet;

cf. Stob. 84.32. .... γέλωτα τοῖς ὁρῶσι παρασκευάζει, βλέπων τε οὐκ ἀκριβὲς καὶ βοώντων οὐκ ἀκροώμενος κ. τ. λ.

Venerem a senectute esse aversam Plutarchus quoque scribit an seni sit ger. resp. 5.1 (p. 786 A) cf. Juv. 204 sq.[7])

Omnibus denique morbis senes laborare et Juvenalis et Junci adversarius contendunt. cf. v. 190:

Sed quam continuis et quantis longa senectus
plena malis!
217 ..... *Circumsilit agmine facto*
morborum omne genus eqs.

Stob. 84.26 Τότε μὲν γὰρ συνεχεῖς νόσοι καὶ δίαιτα πάντως νοσώδης κ. τ. λ. Insanabilem morbum vocat senectutem Seneca[8]), portum omnium malorum Bion.[9])

---

1) cf. v. 227 sq.

2) ap. Stob. 116.49 (M. p. 83 sq.) cf. Hense, Tel. rel. LXXIII; Hirzel, Dial. II. p. 252.

3) cf. 193 sq. 4) cf. 233 sq.

5) Ob aliam causam Seneca cum pueris senes comparat de const. cap. 12 ... *An quicquam isti (scil. senes) profecerunt quibus* ⟨ puerilis ⟩ *animi mala sunt auctique in maius errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt, ceterum non minus vagi incertique, voluptatium sine delectu adpetentes, trepidi et non ingenio, sed formidine quieti.* etc. cf. Norden, annal. philol. supplem. 1891. p. 268[1].

6) [cf. Plat. rep. I, 3 p. 329]. 7) v. pag. 34.

8) ep. 108.28 (cf. 107.3). 9) ap. Diog. Laert. IV. 48.

Exempla hominum infelicium, quibus mors immatura melior fuisset[1]), eadem exstant apud Ciceronem Tusc. 1. 85 (cf. vv. 258—271)[2]) 5. 56 (cf. vv. 276—282); 1. 86 (cf. 283—286). Neque improbabile est hos locos Juvenali ante oculos obversatos esse[3]), quamvis trita ea exempla fuisse videantur. — Pompeio utilius fuisse, si prius diem supremum obisset, Seneca nosterque eodem consilio dicunt. cf. ad. Marc. 20. 4 sq. *Cogita, quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium...... Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat: at nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit....... Vidit Aegyptium carnificem et sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit.* cf. Juv. 283

Provida Pompeio dederat Campania febres
optandas, sed multae urbes et publica vota
vicerunt: igitur fortuna ipsius et urbis
servatum victo caput abstulit etc.

Postremo poeta stultum esse liberorum **formam** a dis precari exponit vv. 289—345. Puellas enim puerosque formosos pudicitia raro antecellere et plerumque in maximis periculis versari. cf. 297:

rara est adeo concordia formae
atque pudicitae.

Similis sententia invenitur apud Lucianum imag. 11 . . . τὸ δ'ἐντελές, οἶμαι, κάλλος τοῦτό ἐστιν, ὁπόταν ἐς τὸ αὐτὸ συνδράμῃ ψυχῆς ἀρετὴ καὶ εὐμορφία σώματος. Ἀμέλει πολλὰς ἄν σοι δείξαιμι μορφῆς μὲν εὖ ἡκούσας, τὰ δὲ ἄλλα αἰσχυνούσας τὸ κάλλος κ. τ. λ. cf. Sen. de ben. III. 16. 3: *Argumentum est deformitatis pudicitia.*[4]) — Bionem et Favorinum corporis pulchritudinem in bonis non expetendis numerasse e florilegio Stobaei noscimus.[5]) Plutarchus quoque personatus eam parvi facit de ed. puer. 8 κάλλος δὲ περιμάχητον μέν, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον. Eam nihil prodesse Epictetus dicit IV. 10. 36 μὴ ἐπίτηδες ταῦτα συνθεῖναι Ὅμηρον, ἵν' ἴδωμεν, ὅτι οἱ εὐγενέστατοι, ⟨οἱ⟩ ἰσχυρότατοι, οἱ πλουσιώτατοι, οἱ εὐμορφότατοι, ὅταν οἷα δεῖ δόγματα μὴ ἔχωσιν, οὐδὲν κωλύονται ἀθλιώτατοι εἶναι καὶ δυστυχέστατοι; Formositatem turpi animo adiunctam respuit Clemens

1) Locus consolationum est immatura morte homines multa vitae incommoda fugere. cf. Gercke, de consolationibus (Tirocin. philol. sodalium sem. Bonnensis 1883, p. 52, 57 sq.).

2) cf. Max. Tyr. 11(30), 2. 3) cf. Buecheler Rh. M. 35 p. 398.

4) cf. Sen. ben. I. 10. 2 (ep. 66. 2); Philo quaest. et solut. in Gen. IV 99 (= de Arnim, Stoic. vet. fragm. III. 592); [Xen.] ep. 6; [Gal.] protr. 8 ed. Marquardt p. 113 1. Socr. ap. Stob. ecl. II. 31. 98. p. 218 W.

5) 66. 5, 6 (M. p. 406). — cf. [Gal.] protr. c. 8 Aristot. protr. fr. 59. (Rose p. 70. 5) ἰσχὺς τε γὰρ καὶ μέγεθος καὶ κάλλος γέλως ἐστὶ καὶ οὐδενὸς ἄξια. Phil. d. Abr. 45 (II. 38) Jn votis, quibus sapientem abstinere decet, Pythagoras apud Diodorum (exc. Vat. X. 23) formam numerat. (Ribbeck, d. echte u. d. falsche J. 23). Stob. ecl. II. 7. 11 m. p. 107 W. (ἐκ τ. Διδύμου ἐπιτ.) Ps. Phocyl. 213 cf. Juv. 295 sqq.

protr. 49. αἰσχρόν ἐστι τὸ κάλλος ὕβρει μεμαραμμένον. Μὴ τυραννήσῃς, ὦ ἄνθρωπε, τοῦ κάλλους μηδὲ ἐνυβρίσῃς ἀνθοῦντι τῷ νέῳ· τήρησον αὐτὸ καθαρόν, ἵνα ᾖ καλόν.[1]) cf. Juv. vv. 304 sq. — Feminis formam perniciei esse in fragmento Plutarchi legimus ap. Stob. 66. 4 (M. p. 406) Ἡ δὲ γυναικὸς εὐμορφία ἀφορμὴ τοῖς πάθεσι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις cf. Juv. 293—295.

Reliquum est, ut saturae epilogum contemplemur, quem sententiis vere philosophis refertum esse primo aspectu manifestum est. Maxime Stoicum hic nostrum se praestare Friedlaender in praefatione breviter monstravit.[2]) — Ut homines dis ipsis permittant, quae bona tribuant,[3]) et desinant inutilia precari Epictetus[4]) et Marcus Aurelius hortantur: 12. 11 Ἡλίκην ἐξουσίαν ἔχει ἄνθρωπος μὴ ποιεῖν ἄλλο, ἢ ὅπερ μέλλει ὁ θεὸς ἐπαινεῖν, καὶ δέχεσθαι πᾶν, ὃ ἂν νέμῃ αὐτῷ ὁ θεός. Idem fere sentit Socrates apud Xenophontem[5]) et Platonem personatum.[6]) Praeterea egregiae Eusebii preces traditae sunt in flor. Stob. 1. 103 (H. p. 52), quae prope absunt a verbis Juvenalianis.

Quae Juvenalis de deorum erga homines bonitate dicat (v. 349 sq.), infra copiosius disputabo. — Homines ut caveant, ne coniugium progeniemque a dis petant, cum nesciant, an haec vota aegritudini sint, non modo Juvenalis (350 sq.), sed etiam Seneca et auctor Alcibiadis alterius commonefaciunt: 142 B. Εὑρήσεις δὲ καὶ περὶ τέκνων τὸν αὐτὸν τρόπον εὐξαμένους τινὰς ἤδη γενέσθαι καὶ γενομένων εἰς ξυμφοράς τε καὶ λύπας τὰς μεγίστας καταστάντες. — Sen. ben. III. 11, 1 *In liberis tollendis nihil iudiciis tollentium licet: tota res voti est.* Saepe nos ignorare, an nuptiae et liberi nobis calamitati sint, idem scribit ep. 59. 2. cf. ad Marc. 10. 1. — Dis esse:

notum, qui pueri qualisque futura sit uxor

(353) exponitur ben. IV. 32. 1: . . . . *Nota enim illis est operis sui series omniumque illis rerum suas per manus iturarum scientia in aperto semper est, nobis ex abdito subit et quae repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria.*[7]) cf. Diog. ap. D. L. VI. 63. Prole carere non molestum esse Plutarchus censet de tranq. an. 6.[8])

Notissima haec est sententia: v. 356:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Quod praeceptum quin sapientiam si non vere Stoicam at tamen popularem quandam resonet, nemo dubitabit. Stoicos autem virtutem ratione assequendam esse ita sibi persuasisse, ut nihil fere discriminis ponerent inter hanc et illam, inter omnes constat. cf. Sen.

---

1) cf. pag. 50. Dio Chr. 78. 36 p. 282. 2) p. 39. 3) cf. v. 347.
4) cf. D. II. 16, 28, 42, 46 sq. (man. 8). 5) mem. I. 3. 2.
6) 143 A cf. 148 C.
7) cf. ad Marc. 17. 6; 22. 2. 8) cf. Sen. rem. 13.

ep. 66. 32; Cic. Tusc. 4. 34: *Ipsa virtus brevissume recta ratio dici potest.* Alio loco[1]) animi sanitas virtus vocatur. — Seneca quamquam secundum Stoicam disciplinam corporis valetudinem nec bonum nec malum esse existimat,[2]) tamen non negat indulgendum illi, serviendum negat;[3]) et ipse quoque idem praescribit ac Juvenalis ep. 10. 4: *Votorum tuorum veterum licet deis gratiam facias, alia de integro suscipe: roga bonam mentem,*[4]) *valetudinem animi, deinde tunc corporis.*[5])

Sapientis esse mortem contemnere (357) Stoici non minus quam reliqui omnes philosophi identidem repetebant. Sescenties apud Senecam legimus *unum esse ex vitae officiis et mori.*[6]) — v. 360 incitamur, ut animum petamus, qui *nesciat irasci.* cf. 8. 88. Ultio quoque improbatur 13. 180 sq.

At vindicta bonum vita iucundius ipsa. —
Nempe hoc indocti, quorum praecordia nullis
interdum aut levibus videas flagrantia causis:
. . . .
189 . . . . *minuti*
semper et infirmi est animi exiguique voluptas
ultio: continuo sic collige, quod vindicta
nemo magis gaudet quam femina.

Sive id in libris philosophorum legit sive sua sponte e magno philosophorum numero ad patientiam celebrandam Chrysippum, Socratem, Thaletem elegit[7]), certum est haec praecepta doctrinam Stoicorum sapere, quippe qui τὴν ἀρετὴν τίθενται ἐν τῇ ἀπαθείᾳ.[8]) πᾶν μὲν γὰρ πάθος ἁμαρτία . . . ἐστί.[9]) — De ira peculiares libros scripserunt Antipater[10]), Philodemus[11]), Plutarchus, Seneca.[12]) — cf. Sen. de ir. II. 6. 1 . . . *Ira ob alienum peccatum sordida et angusti pectoris est . . . ipsam iram* ⟨*virtus*⟩ *castigandam habet, quae nihilo melior est, saepe etiam peior his delictis.*[13]) Similiter Cicero Tusc. 3. 19 *Numquam igitur,* inquit, *sapiens irascitur; nam si irascitur, etiam concupiscit;*[14]) *proprium est enim irati cupere, a quo laesus videatur, ei quam maximum dolorem inurere.*[15]) cf. M. Aur. XI 18. 9 Πρόχειρον δὲ ἐν ταῖς ὀργαῖς, ὅτι οὐχὶ τὸ θυμοῦσθαι

---

1) Tusc. 4. 30. 2) ep. 92. 3) ep. 14. 1 cf. 92. 11 (Epict. III. 22. 86—88; Dio Chr. VI. 8 sq. p. 97. D. [Luc.] Demon. 4)
4) cf. Sen. ep. 31. 11; n. q. III pr. 14. 5) [cf. Petr. 88 ed. B. p. 59. 27.].
6) ep. 77. 19. cf. ind. sub voce mortis. — Cic. Tuscul. lib. I. v. Mayor ad. 10. 357.
7) cf. Frdl. p. 38.
8) [Plut.] vit. Hom. 134 cf. Zeller III 1³ p. 235 (Juv. 364).
9) Plut. virt. mor. 10 p. 445. cf. Zeller III 1 p. 224 sq. Bonhoeffer die Eth. des St. Epict. 46 sq.
10) cf. Athen. 14 (643 F). 11) cf. Tel. ed. Hense LIX.
12) cf. Stob. fl. 20.
13) cf. de const. 17. 4; de ira I. 13. 4, 5. III. 5. 7, 8. II. 32. 1.
14) cf. Juv. v. 360. 15) cf. Tusc. 4. 77.

ἀνδρικόν, ἀλλὰ τὸ πρᾷον καὶ ἥμερον,[1]) ὥσπερ ἀνθρωπικώτερον, οὕτως καὶ ἀρρενικώτερον . . . ὥσπερ τε ἡ λύπη ἀσθενοῦς, οὕτως καὶ ἡ ὀργή.[2]) — Muson. ap. Stob. 19. 16; p. 535. 15 H. μικρόψυχον τὸ ἀγανακτεῖν ἢ ἐπιτείνεσθαι περὶ τῶν τοιούτων · πρᾴως δὲ καὶ ἡσύχως οἴσει τὸ συμβὰν κ. τ. λ. Sequitur laus Socratis! — Plut. de ira coh. c. 8 Διὸ καὶ γυναῖκες ἀνδρῶν ὀργιλώτεραι.[3]) cf. Sen. clem. I. 5. 5.

Nec vero ad Stoicam sectam ea verba convenire videntur, quae leguntur 15. 131 sq.

Mollissima corda
humano generi dare se natura fatetur,
quae *lacrimas* *dedit; haec nostri pars' optima sensus.*
. . . .
Naturae imperio gemimus . . .
142 . . . *Separat hoc nos*
a grege mutorum etc.

Stoici enim omnes affectus exstirpantes dolere quoque et misereri sapienti non licere censebant. cf. Cic. Tusc. 3. 20; Sen. de clem. II. 5 sq.[4]) At popularium philosophorum est sectarum praecepta minus accurate sequi et duritatem eorum mollire.[5]) — Severam illam doctrinam, quam Chrysippus statuebat de dolore tolerando, Carneades[6]) reprehendere solebat, ut ait Cicero Tusc. 3. 59. Et Cicero ipse quoque fatetur T. 3. 63 nos insitum illud in animis habere, omnis bonos interitu suorum quam gravissime maerere oportere. cf. Juv. 15. 138 sq. — Etiam Seneca aliis locis[7]) mitius sentit. cf. ep. 99. 18 *lacrimas naturalis necessitas exprimit* . . . 20. *Saepe salva sapientis auctoritate fluxerunt tanto temperamento, ut illis nec humanitas nec dignitas deesset* (cf. [Luc.] Demon. 10). Socrates quoque dolorem admisisse fertur (Stob. 99. 35).[8])

---

1) cf. 13. 184. 2) cf. M. Aur. 7. 24.
3) cf. de ed. puer. 14, 10 p. 7 E, de prof. in virt. 13.
4) cf. Juv. 13. 11 sq. 5) cf. Zeller III. 1³ p. 715.
6) Quantum Carn. ad disciplinam Stoicam valuerit, Schmekel disputat: die Philos. der m. Stoa (p. 379).
7) ep. 99. 1, 15, 18—20; 63. 1 ad Pol. 18. 5, 6.
8) [cf. Zeller III. 1³ p. 267.] Haec et similia sine dubio adversarii Stoicorum saepe proferebant (cf. Sen. ep. 99. 25). Nam optimo iure luctum a natura humana alienum esse negare poterant. Itaque Seneca, ut ipse erat maxima humanitate, dolorem admittebat, quoad non ostentationis causa simularetur aut animo nimis infirmo non temperaretur. — Senecae et Ciceronis verba, quae laudavi, Juvenalis tam similia sunt, ut eum hos locos recordari liceat suspicari. cf. Ribbeck, Der echte und der unechte Juv. p. 29. R. recte comparat Juv. 131 sq. et Sen. ep. 95. 51 sq. (ir. I. 5). Nec dubium est, quin noster de eo loco cogitaverit. cf. Sen. 95. 53; Juv. v. 142. Pecuniam amissam dolere Juvenalis quoque vetat sat. 13. (cf. Stob. ecl. II 13 p. 120 sq. W. Ἀριστ. κ. τ. λ. περιπατ. περὶ τῶν ἠθικῶν. Juv. 15. 147 sqq.)

Sed redeat, unde deflexit, oratio. — Herculis labores et aerumnae aemulanda proponuntur v. 361, quem quantopere Stoici[1]) et Cynici[2]) celebraverint nemo est qui nesciat. Labore autem homines nobilitari[3]) Seneca docet ep. 31 cf. § 4: *Generosos animos labor nutrit. Non est viri timere sudorem.* cf. [Crat.] ep. 13 . . . ἐπίπονος ἡ διαγωγὴ (scil. Διογένους), ἀλλ' ἐλευθεριωτέρα τῆς Σαρδαναπάλλου.[4]) Vita Sardanapalli, regis Syriae effeminati, quam noster spernit v. 362 a Cicerone reicitur Tusc. 5. 101; rep. 3 (cf. schol. ad Juv. v. 362). Mollitiem eius conculcare philosophi numquam desinebant.[5])

Nec vero ad bona illa impetranda, quae Juvenalis enumerat 356 sq., hominibus precibus opus esse[6]) Seneca identidem explicat ep. 9. 19; 41. 1; 27. 3; 31. 5: *Non est ergo, quod ex illo vetere [voto] parentum tuorum eligas, quid contingere tibi velis, quid optes: et in totum iam per maxima acto viro turpe est etiamnunc deos fatigare. Quid votis opus est? Fac te ipse felicem. Facies autem, si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus* etc.[7]) — Extrema quoque sententia contumaciter contra fortunam dicta[8]) cum scriptis Senecae et Ciceronis conspirat: v. 365

Nullum numen habes, si sit prudentia[9]), *nos te,*
nos facimus, Fortuna, deam caeloque locamus.

Quos versus respiciens Lact. dicit inst. III. 29. 18[10]): *Stultitia igitur et error et caecitas et, ut Cicero ait, ignoratio rerum atque causarum Naturae ac Fortunae nomina induxit.* cf. par. 34. Sen. ep. 98. 2: *Errant . . . . qui aut boni aliquid nobis aut mali iudicant tribuere fortunam . . . . Valentior enim omni fortuna animus est; . . . . rectus atque integer corrigit prava fortunae et dura atque aspera ferendi scientia mollit* etc. cf. § 12: *Quid est praecipuum? . . . . animus, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere* etc.[11])

Nec vero fieri potuit, quin Juvenalis nullam vim concederet fortunae, cum ei quoque, ut saepe sequitur doctrinam Stoicorum, omnia fato temperari viderentur, quod facile cognosci potest ex versibus 2. 16; 7. 200; 10. 129; 12. 163; 14. 158 [9. 32]. Eum autem iis locis, ubi dicit fortunam facere, ut alter rebus secundis utatur, alter

---

1) cf. Zeller III. 1^3 p. 269, 334. 2) cf. Zeller II. 1^4 p. 307.
3) cf. Mus. ap. St. 29. 75, 78. — v. H. p. 651. 2. (Ps. Phocyl. 153 sqq.)
4) cf. W. Schmid P.-Wiss. V. 1. 862. 46.
5) cf. E. Weber, stud. Lips. p. 94; Mayor ad Juv. 10. 362.
6) cf. 363 sq. Dio Chr. XVI. 7 sq. p. 271.
7) cf. ep. 80. 3; n. q. III pr. 14. Cic. nat. d. 87. Max. Tyr. 11 (30) 3, 6: τίς ἀγαθὸς ⟨εὔξεται⟩ περὶ εὐδαιμονίας τὴν ἀρετὴν ἔχων; cf. Zeller II. 1^4 p. 330.
8) cf. Sen. ep. 108. 7. 9) cf. Sen. ep. 85, 2 (36—38).
10) cf. Cic. Acad. post. I. 29.
11) cf. Sen. ep. 15. 10, 12; 51. 9; 110. 20; 118. 4; 36. 6; (64. 4); de const. 19. 4 n. q. III. pr. 11 sq. ben. IV. 34. 5. — Plin. II. 22. cf. Bonhoeffer, die Ethik des St. Ep. 19, 49^6.

adversis, hanc vocem secundum sermonem vulgarem usurpasse Friedlaender animadvertit.[1]) cf. 7. 197:

Si fortuna volet, fies de rhetore consul:
si volet haec eadem, fiet de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
sidus et oculti miranda potentia fati?

cf. 3. 34—40. *Locum de varietate fortunae*[2]) non solum rhetores sed etiam philosophi, quippe qui virtute fortunam vincere volebant[3]), usque ad taedium repetebant.[4]) cf. Tel. ed. H. p. 40; Luc. Nigr. 20 ἔνεστι δὲ .... καὶ τῶν τῆς τύχης ἀγαθῶν καταφρονεῖν ὁρῶντα ὥσπερ ἐν σκηνῇ .... τὸν μὲν ἐξ οἰκέτου δεσπότην προϊόντα, τὸν δ'ἀντὶ πλουσίου πένητα, τὸν δὲ σατράπην ἐκ πένητος ἢ βασιλέα κτλ. Dubitavi, num sideribus vitam humanam destinari ratione Stoicorum[5]) crediderit[6]), cum hoc verbum tunc aetatis in omnium ore esset et Juvenalis ipse quoque astrologos irrisos haberet.[7]) —

Quoniam statuimus tot sententias decimae saturae cum hortationibus et placitis philosophorum congruere, tempus est quaerere, rectene de ea a Lehrsio sit iudicatum. Ac primum saturam colore philosophico carere[8]) negandum est. Deinde exempla Demosthenis et Ciceronis non tam insipida sunt quam Lehrsio videntur. Demosthenes enim et Cicero, nisi summa eloquentia praeter ceteros floruissent, non multum ad rem publicam administrandam valuissent. Auctoritatem autem, quam sic assecuti erant, iis perniciei fuisse per se patet. Itaque Juvenali merito dicere licebat eloquentiam expetendam non esse. Indolem artemque oratoriam Ciceronis ac Demosthenis detrectare noluit, voluit eorum exemplo monstrare eloquentiam quoque saepe periculo esse. Illa quidem comparatio orationis Philippicae ac poematum ridendorum[9]) vituperabilis est, sed plus habet offensae in rhetoris declamatione quam in diatriba poetae more popularium philosophorum disputantis, quippe qui nimio studio impulsi in tales ineptias facile inciderent.

Etiam Hannibalis commemoratio Lehrsio displicet. Concedendum est rerum scriptores aliter res ab eo gestas efferre, sed noster, qui animi tranquillitatem plurimi putat,[10]) belli gloriam spernere debet. Igitur Hannibalis fortuna ei admirabilis videri nequit; neque enim eius vitam beatam ducere poterat, qui id, ad quod omnibus viribus enitebatur, consecutus non erat.

Alexander autem, cuius expeditiones multitudini etiam maiore admiratione dignae videbantur, saepissime a philosophis memoratur,

---

1) pag. 41 cf. Sen. ben. IV. 8. 3. Ceteroquin popularem et philosopham fati sive fortunae opinionem plerique confundebant L. Schmidt, Eth. d. a. Gr. I. 58. 2) Sen. controv. I 8. 16. cf. Norden, ant. Kunstprosa I p. 276.
3) cf. Sen. ep. 71. 30; 74. 7.
4) cf. ind. Sen. ed. H. — Luc. Men. 16. 5) cf. Cic. de div. 2. 87 sq.
6) cf. 7, 195—200; 16. 4; [9. 33] (Frdl. p. 41). 7) cf. cap. XIII.
8) Friedl. p. 453. 2. 9) v. 124 sq. 10) v. 364.

ut gloriae vanitatem demonstrent.[1]) Quae cum ita sint, nihil habeo, quod ob has res Juvenalem reprehendam, nisi forte etiam Cicero, Seneca, Plutarchus ob eadem vitia insipientes vocandi sunt. Quorum libros ad philosophiam pertinentes plenos esse exemplorum e fabulis et historia Graecorum ac Romanorum sumptorum nemo ignorat. Ac iure Seneca scribit ad Marc. 2. 1 *a praeceptis incipere omnes, qui monere aliquem volunt, et in exemplis desinere.*

Tum ea pars vituperatur, in qua de forma agitur. Quantopere Lehrsius hic erret, neminem fugiet. Nusquam Juvenalis scribit, ut parentes liberos strumosos atque utero pariter gibboque tumentes fieri cupiant. Nemo hos versus ita intellegit, nisi qui pravam opinionem praesumpsit. Juvenalis recte dicit melius esse liberos deformes, sed honestos habere quam formosos, sed impudicos et plus periculi esse, ne formosi turpia patiantur quam deformes. Nec vero deformes liberos optare iubet, sed vetat pulchritudinem liberorum a dis precari, quoniam fieri possit, ut haec detrimento sit.

Versum denique 364 cum 360 non conspirare nemo credet. Neque enim poeta dicit *Herculis aerumnas saevosque labores* a dis petendos esse, sed eos vitae luxuriosae anteponendos. Talem autem animum ait virtute praestari. Qua etiam vitae tranquillitatem parari meo quidem iudicio contrarium non est.

Praeter longam exemplorum seriem etiam in dispositione secundum consuetudinem adulescentium in schola declamantium facta interpretes offendere videntur. Licet hoc rectum sit, tamen in hac satura eadem quae in scriptis philosophorum popularium atque eodem fere modo tractari satis a nobis explicatum est. Carmen autem bene compositum est. Nam poeta postquam vota hominum plerumque vera bona non esse disseruit atque incommoda et vanitatem divitiarum, quae vulgo maxime cupiuntur, explanavit (1—55), compluribus exemplis primum demonstrat ea bona non esse, quibus potissimum homines auctoritatem se impetraturos esse sperent, potentiam, eloquentiam forensem, belli gloriam;[2]) deinde etiam eos errare ostendit, qui tanta non orantes longam vitam formamque petendam esse ducant. Tum exponit, quae vera bona[3]) sint, eaque etiam sine precibus sola virtute parari. —

---

1) Philosophos Alexandro prius obtrectavisse quam rhetores Schwartz animadvertit (Paul. Wiss. IV. 1880.)

2) Iisdem bonis vitae serenitatem non praestari Plutarchus dicit de coh. ira 19. p. 476 ὅθεν οὔτε οἰκία πολυτελὴς οὔτε χρυσίου πλῆθος οὔτε ἀξίωμα γένους (cf. Juv. sat. 8) οὔτε μέγεθος ἀρχῆς οὐ λόγου χάρις ἢ δεινότης εὐδίαν παρέχει βίῳ καὶ γαλήνην τοσαύτην ὅσην ψυχὴ καθαρεύουσα πραγμάτων καὶ βουλευμάτων πονηρῶν κ. τ. λ. (cf. Luc. Nigr. 4; Ceb. tab. 8; Arist. protr. fr. 59; Rose p. 70. 5.) Norden, ann. ph. suppl. XVIII 339. 1.

3) Eadem simul nominantur a Seneca de brev. v. 19. 2. *Exspectat te in hoc genere vitae multum bonarum artium, amor virtutum* (cf. v. 364) *atque usus, cupiditatum oblivio* (v. 360) *vivendi* (358 sq.) *ac moriendi* (v. 357) *scientia, alta rerum quies* (v. 364.) cf. Max. Tyr. 11 (30.) 8.

X.

De spectaculis.

Paucis verbis in satura decima commemoratur, quanto gaudio populus spectaculis impleatur v. 80

. . . . duas tantum res anxius optat
panem et circenses.

Quod accuratius disserere non inutile mihi videtur cum noster saepius eam rem attingat.[1]) Idem quod Romanis Juvenalis, Alexandrinis vitio dat Dio Chr. XXXII. 29 sq. p. 409 cf. 31 τὸ δὲ Ἀλεξανδρέων πλῆθος τί ἂν εἴποι τις, οἷς μόνον δεῖ παραβάλλειν τὸν πολὺν ἄρτον· οὕτω γὰρ εἰρῆσθαι πολὺ βέλτιον· καὶ θέαν ἵππων.[2]) Quas populi voluptates Seneca contemnit (de ira II. 8. 1): *Quid singula persequor? cum videris forum multitudine refertum et septa concursu omnis frequentiae plena et illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit.* cf. ep. 7.2 *Nihil vero tam damnosum bonis moribus*[3]) *quam in aliquo spectaculo desidere* eqs. cf. ad Pol. 6. 4.[4]) Porro comparandae sunt Plutarchi quaest. conv. VII. 5. 3, 8 sq. μήτε ἑαυτὸν ἀήττητον ὑφ' ἡδονῆς εἰ μὴ κατὰ τὸ ἀφροδίσιον, ἀλλὰ κατὰ τὸ μουσεῖον ἑάλωκεν ἢ τὸ θέατρον· ὁμοίως γὰρ ἐγκέκλικε καὶ παρέδωκε ταῖς ἡδοναῖς ἄγειν καὶ φέρειν τὴν ψυχήν. — Nigrinum Lucianus haec dicentem facit cap. 29 . . . διεξῄει . . . καὶ τὰ θέατρα καὶ τὸν ἱππόδρομον καὶ τὰς τῶν ἡνιόχων εἰκόνας καὶ τὰ τῶν ἵππων ὀνόματα καὶ τοὺς ἐν τοῖς στενωποῖς περὶ τούτων διαλόγους. Πολλὴ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἡ ἱππομανία καὶ πολλῶν ἤδη σπουδαίων εἶναι δοκούντων ἐπείληπται. cf. Juv. 11. 193

Interea Megalesiacae spectacula mappae
Idaeum sollemne colunt, similisque triumpho
praeda caballorum praetor sedet, ac mihi pace
immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
totam hodie Romam circus capit et fragor aurem
percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, maestam attonitamque videres
hanc urbem, ...
. . . . Spectent iuvenes, quos clamor[5]) *et audax*
sponsio, quos cultae decet assedisse puellae.[6])

---

1) 11.53 109; 14.262; 9.144. 2) Idem de spectaculis gladiatoriis loquitur 31.12 p. 385. 3) [cf. 11.201 sq.]
4) cf. ad Helv. 17.1; clem. I. 26.2 sq. n. q. VII. 32.3 (ep. 80.1).
5) cf. 9.144 (Sen. ep. 80.2; 83.7).
6) Mulieres ne in spectaculis adsint, Clemens praescribit paed. III. 10. ὅρον γοῦν ἐπιθυμίας οὐκ ἔχουσαι εἰς ἀναισχυντίαν ἐποκέλλουσιν· δεῖ γὰρ αὐταῖς καὶ θεάτρου κτλ. cf. Juv. 6.61 sq. (11.202).

cf. Dio Chr. XXXII 74 p. 425. 28 Μὴ οὖν οἴεσθε περὶ μικρῶν εἶναι τὸν λόγον, ὅταν τις ὑμῖν διαλέγηται περὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις θορύβων . . . ἀλλ' ὅταν εἰς τὸ στάδιον ἔλθητε, τίς ἂν εἰπεῖν δύναιτο τὰς ἐκεῖ κραυγὰς καὶ θόρυβον καὶ ἀγωνίαν καὶ σχημάτων μεταβολὰς καὶ χρωμάτων καὶ βλασφημίας οἵας καὶ ὅσας ἀφίετε; κτλ. cf. §§ 41, 50 sq. p. 414.[1]) Maximus Tyrius laudat 37 (21). 4 antiquam Atheniensium musam chorosque puerorum et virorum, in spectacula autem insipienter invehitur ut in principium civitatis corrumpendae. μεταπεσοῦσα δὲ ἡσυχῇ ἐπὶ τέχνην ἀκορέστου χάριτος[2]) ἐν σκηνῇ καὶ θεάτροις ἀρχὴ τῆς περὶ πολιτείαν αὐτοῖς πλημμελείας ἐγένετο. — Marcus Aurelius educatori gratias agit 1. 5, quod se docuerit τὸ μήτε Πρασιανὸς μήτε Βενετιανὸς . . . . γενέσθαι. cf. Juv. 11. 198. Quiete in theatro se gerere Epictetus iubet man. 33. 10.[3]) — Populi crudelitatem adversus gladiatores noster adumbrat 3. 37; quam Seneca graviter insectatur ep. 95. 33. In obscoenitate mimorum Lactantius inst. 6. 20 et Minucius Felix 37. 12 offendunt. cf. Juv. 8. 197, 6.44.

Acerbissime Juvenalis reprehendit, quod etiam homines nobili loco nati dignitatis adeo obliviscantur, ut in scenam prodeant.

8. 183 *Quid, si numquam adeo foedis adeoque pudendis*
utimur exemplis, ut non peiora supersint? —
Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit
iudice me dignus vera cruce. etc. . . .
199 *. . . Haec ultra quid erit nisi ludus? et illic*
dedecus urbis habes, nec mirmillonis in armis,
nec clipeo Gracchum pugnantem aut falce supina
damnat enim tales habitus . . . .
. . . . movet ecce tridentem etc.

cf. 2. 143.[4]) Tales iuvenes Seneca perstringit ep. 99. 13. *Adspice illos iuvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria proiecit.* In alia epistula (87. 9) castigatur *hic, qui inter illos apparatus delicatos cummaxime dubitat, utrum se ad gladium locet an ad cultrum.* Ne exemplum Neronis imitentur, qui maxima industria citharoedicae arti studuerit, Dio Chr. Alexandrinos monet XXXII 60 p. 421 cf. Juv.

8. 198 *res haut mira tamen citharoedo principe mimus*
nobilis.[5]) —

---

1) cf. Phil. de prov. II. 103. 2) cf. Juv. 11. 53.

3) Procuratorem Epiri Epictetus castigat, quod turpius comoedo cuidam faverit. III. 4.

4) 4. 94 sq. Juvenalis Acilii Glabrionis mentionem facit, qui iussu principis in arena cum ursis certamen inierat.

5) cf. Plut. de adul. et amic. 12 (p. 56 F).

A philosophis imprimis spectaculorum delicias vituperatas esse, quamquam huius rei testimonia perpauca inveni,[1]) mihi veri dissimile non videtur. Nam circum inire ac mimorum gladiatorumque ludos spectare Romae numquam turpe habebatur.[2]) Aliter autem philosophos de ea re sensisse manifestum est ac Senecam tanta morum severitate non solum excellentem fuisse iam cognovimus.

XI.
De nobilitate.

Nobilitatem non in genere, sed in animo positam esse Juvenalis in satura octava comprobare studet. Eandem rem pertractant Seneca[3]) Philo,[4]) Galenus personatus,[5]) Dio.[6]) Chrysippum[7]) quoque et Diogenem Babylonium[8]) nobilitatem valde aspernatos esse Plutarchus personatus et Athenaeus referunt. Nec nulla sunt, quae cum hoc carmine conferri possunt. Ac primum poeta eos, qui nobiles haberi velint, maioribus dignos se praestare iubet.[9])

Stemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
sanguine censeri, pictos ostendere vultus
maiorum et stantis in curribus Aemilianos,
. . . .
9 *si coram Lepidis male vivitur?*

cf. 21; 30 sq. Idem scribit Philo de nob. 2. Τὸ συγγενές οὐχ αἵματι μετρεῖται μόνον πρυτανευούσης ἀληθείας, ἀλλὰ πράξεων ὁμοιότητι καὶ θήρᾳ τῶν αὐτῶν . . . . . II. 440 ὑπόδικοι δὲ ὑμεῖς οἱ ἐκ μεγάλων φύντες οἴκων, οἷς αὔχημα καὶ κλέος τὰ λαμπρὰ γένη. Παριδρυμένων γὰρ καὶ τρόπον τινὰ συμπεφυκότων ἀρχετύπων ἀγαθῶν οὐδὲν ἀπομάξασθαι καλὸν διενοήθητε. cf. Epict. I. 4. 10. „Stemmata“ Seneca spernit ben. III. 28. 2. *Qui imagines in atrio exponunt et*

---

1) Plura invenimus apud Tertullianum, ex cuius libro de spectaculis conscripto, quamvis ille cum nostro conspiret, exempla nulla attuli, quia dubium est, num in eo sermone fontes e philosophia populari emanantes exhauserit. — cf. Lact. VI. 20.

2) cf. Friedl. S. G. II[6] 413.

3) ep. 44.

4) de nobil. cf. Wendland, Ph. etc. p. 51 sq.

5) protr. c. 7.

6) or. XV. 29 sq. p. 267.

7) περὶ τῶν ἀρετῶν ἰσοτιμίας. cf. [Plut.] pro nob. 12—16.

8) περὶ εὐγ. cf. Ath. IV. 168 E. — Medius inter obtrectatores ac laudatores nobilitatis intercedit Aristot. περὶ εὐγ. ap. St. 86. 25 (R. fr. 92) ἔστιν ἡ εὐγένεια ἀρετὴ γένους.

9) [Plut.] pro nob. 5.

nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum inligata flexuris in parte prima aedium collocant, non noti magis quam nobiles sunt?[1]) ep. 44. 5. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus.* cf. § 1. — Juv. v. 8.

Nobilitatem sola virtute contineri[2]) Seneca, Plutarchus ap. Stob. 86), Philo aliique philosophi disputant. — Ph. cap. 2 (II. 440) Ὅτι δὲ ἐν ἀρετῆς κτήσει τίθετε τὸ εὐγενές, καὶ τὸν ἔχοντα ταύτην εὐγενῆ μόνον ὑπειλήφατε, ἀλλ' οὐχ ὅστις ἂν καλῶν καὶ ἀγαθῶν γένηται γονέων, δῆλον ἐκ πολλῶν. cf. cap. 1. (II. 438) μόνους χρὴ λέγειν εὐγενεῖς τοὺς σώφρονας καὶ δικαίους. Sen. ep. 54. 5 *Quis est generosus? Ad virtutem bene a natura compositus* etc. . . . . *Animus facit nobilem* . . . .[3]) cf. Juv. v. 24.

Prima mihi debes animi bona.

cf. [Plut.] ap. Stob. p. 157 (M.)[4]) — Ps. Phalaris ap. St. 86. 17 Ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν ἀρετὴν οἶδα, τὰ δὲ ἄλλα πάντα τύχην.

Nobilitatem bonum esse a maioribus profectum breviter Plutarchus pers. dicit ed. puer. 8. Εὐγένεια καλὸν μέν, ἀλλὰ προγόνων ἀγαθόν.[5]) Consentit cum nostro, qui Rubellium ita vituperat v. 40:

. . . *tumes alto Drusorum stemmate, tamquam*
feceris ipse aliquid propter quod nobilis esses.[6])

cf. Sen. ep. 44. 5 *Nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante nos fuit, nostrum est.* — Ut posteri ipsi gerant res suo nomine dignas quibus nobiles fiant, Juvenalis postulat 68 sq.

Ergo, ut miremur te, non tua, privum aliquid da,
quod possim titulis incidere. etc. cf. 75 sq. —

[Gal.] protr. 7 ταύτην γὰρ μόνην ἔχοιμεν ἄν, εἰ δή τίς ἐστιν εὐγενείας χρεία, ὡς πρὸς οἰκεῖον παράδειγμα τὸν ζῆλον ἡμῖν γίγνεσθαι.[7]) Quo quis nobilior sit, eo magis eum esse vituperandum, si indecore se gerat, idem paucis verbis memorat: αἰσχύνη . . . . τοσῷδε μείζων, ὅσῳ καὶ τὸ γένος περιφανέστερον. cf. Juv. 140

Omne animi vitium tanto conspectius in se
crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Ut autem Juvenalis homines degeneres cum equis confert, qui strenuo genere nati tamen raro victoriam reportent[8]), ita Epic-

1) cf. ep. 76. 12.
2) cf. Juv. v. 20. 3) cf. Sen. ben. III. 28. 1 (v. Wendland, p. 52).
4) pro nob. c. 10. Auctor sententiam adversarii refert.
5) cf. de tranq. an. 17 (p. 475 B); [Gal.] protr. 7 (ed. Marquardt p. 110). — Phil. de nob. 2 (II. 439); de Abr. 45 (II. 38); Epict. IV. 1. 10.
6) cf. v. 70. 7) cf. Juv. 138 sq. (v. Wendland p. 54).
8) vv. 57 sq. — Haec comparatio perantiqua est. cf. Theogn. 183 sq. (v. Mayor ad v. 56) Ad contrarium probandum ea utitur Plutarchus personatus pro nobil. cap. 1.

tetus eodem modo disputat: III. 14. 11 sq. Κρείσσων εἰμί σου· ὁ γὰρ πατήρ μου ὑπατικός ἐστιν. Ἄλλος λέγει, Ἐγὼ δεδημάρχηκα, σὺ δ' οὔ. Εἰ δ' ἵπποι ἦμεν, ἔλεγες ἂν ὅτι Ὁ πατήρ μου ὠκύτερο ἦν ⟨ἢ⟩ ὅτι Ἐγὼ ἔχω πολλὰς κριθὰς καὶ χόρτον ἢ ὅτι Κομψὰ περιτραχήλια; εἰ οὖν ταῦτά σου λέγοντος εἶπον ὅτι Ἔστω ταῦτα, τρέχωμεν οὖν. Ἄγε, ἐπ' ἀνθρώπου οὖν οὐδέν ἐστι τοιοῦτον οἷον ἐφ' ἵππου δρόμος, ἐξ οὗ γνωσθήσεται ὁ χείρων καὶ ὁ κρείττων; Μήποτ' ἐστὶν αἰδώς[1]), πίστις[2]), δικαιοσύνη[3]); τούτοις δείκνυε κρείττονα σεαυτόν, ἵν' ὡς ἄνθρωπος ᾖ κρείττων. Eandem comparationem hominis generosi et equi reperimus apud Senecam[4]), Dionem[5]), Aristotelem.[6])

Postremo **bonum filium ignobilis patris** noster nobilis malo filio anteponit v. 229 sq. Similiter Philo Judaeus philosophatur nob. 1. . . . χρὴ λέγειν εὐγενεῖς τοὺς σώφρονας καὶ δικαίους, καὶ ἂν τύχωσιν ἐξ οἰκοτρίβων ἢ ἀργυρωνήτων γεγονότες. Τοῖς δὲ ἐξ ἀγαθῶν πονηροῖς γεγονόσιν ἄβατον ἔστω τὸ εὐγενείας χωρίον κ. τ. λ. cf. Plut. de aud. poet. 9 (p. 28 D).

Nihil referre longa avorum serie gloriari aeque ac Seneca explicat Juvenalis vv. 272 sq.

Et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
*nomen, ab **infami gentem deducis asylo**;*
maiorum primus, quisquis fuit ille, tuorum
aut pastor fuit aut illud, quod dicere nolo.

Unde haec Platonis sententia[7]) in hanc saturam venire potuerit, Senecae epistula 44 docet. cf. § 4 *Plato ait neminem regem non ex servis esse oriundum* etc. cf. ben. III. 28. 2. Epict. IV. 1. 9.

Luce clarius est has sententias maxime Cynicorum[8]) et Stoicorum[9]) esse, qui externa bona omnia indifferentia esse putabant. cf. Dig. L. VII. 101 sq. Τῶν δ' ὄντων φασὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακά, τὰ δ' οὐδέτερα ...... οὐδέτερα δὲ ὅσα μήτ' ὠφελεῖ μήτε βλάπτει, οἷον ζωή, ὑγίεια, ἡδονή, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος, εὐδοξία[10]), εὐγένεια κ. τ. λ. Quamobrem octava quoque satura cum diatribis philosophorum merito comparari potest, praesertim cum haec contemptio nobilitatis vulgari opinioni contraria sit.[11]) Sententias philosophas nostrum Senecae debere verisimillimum est; certum dicerem, nisi de ea re a Stoicis persaepe esset disputatum.

---

1) cf. Juv. v. 83. 2) cf. v. 80 sq. 3) cf. v. 79 sq.
4) ep. 41. 6. 5) XV. 30 sq. p. 268. 6) R. fr. 57.
7) Theaet. 175 A.
8) cf. Diog. L. VI. 72. — E. Weber, stud. Lips. X 137[2]; Zeller II. 1[4]. p. 305[6].
9) cf. Cic. Tusc. 5. 46, 103. v. Arnim, Stoic. fr. III. 349 sq. Stob. ecl. II. 7. 11[m] p. 107 W. (ἐκ τῆς Διδύμου Ἀρ. ἐπιτ.) 10) cf. sat. 10.
11) cf. Leop. Schmidt, die Ethik d. alten Gr. I p. 159 sq. Etiam inter philosophos nobilitatis defensores fuisse perspici potest e libro pro nobilitate conscripto qui sub Plutarchi nomine circumferebatur et in Latinum sermonem convertebatur (Plut. ed. Bern. vol. VII p. VI).

Singula adhuc omissa nunc breviter tractabo. Quomodo nobiles se gerere deceat, noster praecipit vv. 79 sq.

Esto bonus miles, tutor bonus,[1] *arbiter idem*
integer; ambiguae si quando citabere testis
incertaeque rei, Phalaris[2] *licet imperet ut sis*
falsus et admoto dictet periuria tauro,
summum crede nefas animam praeferre pudori
et propter vitam vivendi perdere causas.

Nimirum Juvenalis, qui ipse tribunus militum cohorti praefuisse putatur,[3] posteros Drusorum et reliquarum gentium nobilium primum hortatur, ut praestent militia. Etiam Socratis fortitudinem, qua apud Delium excellens fuisse fertur, philosophi libenter laudare solebant. Seneca persaepe vitam humanam cum militia comparat eaque occasione oblata militares virtutes laudibus effert.[4] — Ut hic Ponticus tutoris officia fideliter praestare iubetur, sic aliubi[5] perfidia tutorum castigatur. Hic locus communis est non modo rhetoribus, sed etiam philosophis.[6] — De iudicis officiis egerunt Chrysippus,[7] Philo,[8] Favorinus.[9] cf. Ph. cap. 3 Ὁ δὲ ἐπὶ δώροις βραβευτὴς τοῦ δικαίου καλὸν φύσει πρᾶγμα λέληθεν αἰσχύνων. (Sen. ep. 113. 20 *iuste decernere bonum est.)* — Falsos testes[10] Philo incusat de X orac. 27 . . . ψευδομαρτυρεῖν ἀπαγορεύει, πολλοῖς καὶ μεγάλοις καὶ πᾶσι χαλεποῖς τοὺς ψευδομάρτυρας ἐνόχους εἰδώς. — Mortem turpi vitae praeferendam esse[11] Seneca docet ep. 70. 19 sq. — § 7 *non omni pretio vita emenda est.* — 21. . . . *hoc constet praeferendam esse spurcissimam mortem servituti mundissimae.* cf. ep. 101. 15 *Multi peiora adhuc pacisci parati sunt: etiam amicum prodere . . . ut contingat lucem videre tot consciam scelerum . . . quam bene vivas refert, non quamdiu.* Minas tyrannorum idem aspernatur de const. 8. 3. Lucilium laudat, quod *in amicitia Gaetulici* principi eiusque ministris *cervicem pro fide opposuerit.* —

Ad vitia transeo, quae in hac satura nobilibus crimini vertuntur. Helluones, qui in convivia tesserasque[12] totam noctem conferunt, Juvenalis obiurgat vv. 10 sq.[13] In eosdem Seneca invehitur ep. 122. 2

---

1) [cf. Plat. leg. 11.8] 2) cf. pag. 50. Mayor ad v. 81.

3) De hac re lubrica cf. Schanz. Gesch. d. röm. Litt. II² p. 169.

4) cf. ep. 51. 6 *Nobis quoque militandum est, et quidem genere militiae, quo numquam quies, numquam otium datur.* prov. 5. 1; vit. beat. 15. 5; tr. an. 3. 5; 4. 5; ep. 96. 5; 107. 9; 109. 8. cf. Epict. III 26. 27 sq., M. Aur. VII 7, 45. — Caesarem Seneca laudat, quod sororis morte afflictus imperatoria munia non neglexerit. ad Marc. 14. 3. 5) 1. 46 sq. 10. 222. 15. 135 sq.

6) cf. Sen. ben. IV 27 5; ep. 97. 11. — Plat. leg. XI 928. Vetustissimum argumentum est orbos a malignis hominibus privari. cf. Hes. op. 330.

7) cf. Plut. Stoic. rep. 23. 5. 8) de iud. II 345 sq. 9) ap. Gell. 14. 2. — (Arist. eth. N. V. 1137.ᵃ 1 sq. Ps. Phoc. 9 sq.) 10) cf. Juv. 14. 218. — (Plat. leg. 937 B. C. Arist. eth. N. 1131.ᵃ 7). 11) cf. Cic. off. III cap. 5 par. 18. — Bonhoeffer, die Ethik des Stoik. Epictet, 34 sq. 12) cf. Juv. 1. 88; 11. 176; 14. 4 sq. 13) cf. 4. 138.

Sunt qui officia lucis noctisque perverterint nec ante diducant oculos hesterna graves crapula, quam adpetere nox coepit etc.[1]) cf. Juv. v. 11

. . . dormire incipis ortu | Luciferi

— Aleatores impugnant Seneca ben. VII. 16.3; ad Pol. 17.4, Cicero off. 1.150: *Minimeque artes eae probandae, quae ministrae sunt voluptatum . . . Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium.* [Plut.] ed. puer. 7 (5 B),[2]) Xen. mem. I 257; Lucian. Sat. 8; (Dio Chr. 70.4 p. 239).[3])

Falsarii et circumscriptores[4]) perstringuntur 142:

Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
in templis quae fecit avus etc.

cf. 1.67. Fraudes, furta, periuria[5]) in iis sceleribus numeranda sunt, quae maxime in scriptis philosophorum moralibus castigantur. cf. Sen. de ira II. 9.4: *Adde nunc publica periuria gentium et rupta foedera . . . . circumscriptiones, furta, fraudes, infitiationes, quibus trina non sufficiunt fora.*[6]) cf. Juv. 13.135.

Nobilissimum quemque socios rapinis repetundisque maxime vexavisse multis verbis enarratur vv. 87 sq. Philosophos quoque de aviditate procuratorum similia protulisse perpaucis testimoniis firmatur, quod facile intellectu est, quoniam sub principum imperio provinciae aequius administrabantur quam libera re publica. Cicero eam rem brevissime attingit par. 43 . . . *Sin propter aviditatem . . . nullum quaestum turpem putas . . . si socios spolias* . . . cf. par. 46 off. 2.27;[7]) 3.36.[8]) Ep. III. 3.12 ἐλήλυθεν εἰς τὴν ἐπαρχίαν κλέπτης ἀνθύπατος. Τίνι νομίσματι χρῆται; ἀργυρίῳ. Sen. ben. I. 9 4: *Jam rapta spargere, sparsa acri avaritia recolligere certant. Nihil pensi habere paupertatem alienam contemnere,*[9]) *suam plus quam ullum aliud vereri malum; pacem iniuriis perturbare*[10]); *imbecilliores vi ac metu premere*[11]): *nam provincias spoliari et nummarium tribunal audita utrimque licitatione alteri addici non mirum, quoniam quae emeris vendere gentium ius est.*[12]) cf. Juv. 8.127:

---

1) cf. Sen. ep. 59.18; 83.14. (Mus. ep. ad Pancr. 4). 2) cf. Juv. sat. 14.4 sq. 3) Clem.paed. III 75. (Harnack, der pseudocyprian. Tractat de aleat. 1888.) — Arist. eth. N. IV. 1122.a 7. Sol. ap. Stob. ecl. II. 31.77. p. 215 W.

4) cf. pag. 11. 5) Juv. 13.23. 3.47, 181, 144 sq. 14. 218. (Arist. eth. N. 1131.a 6)

6) cf. Plut. animi an corp. aff. sint peiores cap. 4 (p. 501 E) — Cic. off. 3 73, 75, 103 sq. fin. 2.46. Lael. 89 leg. 1.43 par. 43. — Sen. ir. III. 2.1 ep. 97.11. M. Aur. 9.1 (ed. Stich p. 113.2). Philo de spec. leg. II. 2 (cf. Juv. 13.78 sq.) Luc. Nigr. 16, 17, 69; Men. 2. D. Chr. or. 74 (cf. Stob. fl. 11 e. 12.)

7) cf. Juv. v. 98 sq. (Cic. § 26). 8) cf. off. II. 77.

9) cf. Juv. 3 152 (Crant. ap. Stob. 96.13; Sen. ep. 115.11). 10) cf. 121 sq.

11) cf. v. 135 sq.

12) Cogitari potest hunc locum fortasse nostro ante oculos obversatum esse. Apud Senecam ibidem adulteria tanguntur. In Juvenalis satura ab hac parte duobus versibus seiuncta verba sequuntur, quibus *nocturnus adulter* inducitur.

. . . . si nemo tribunal
vendit acersecomes . . . .
tu licet a Pico numeres genus . . . .

Qua digressione facta ad depravationem nobilitatis illustrandam in Lateranum vehementer invehitur, quod inter homines perditissimos et contemptissimos in popinis thermisque comissetur. cf. v. 167 sq.

Lateranus ad illos
thermarum calices inscriptaque lintea vadit
172 *. . . . in magna legatum quaere popina;*
invenies aliquo cum percussore iacentem,
permixtum nautis et furibus ac fugitivis etc.

cf. vv. 158 sq. Eadem probra Seneca reprehendit ep. 122. 6 . . . . *frequens hoc adulescentium vitium est, qui vires excolunt, ut in ipso paene balinei limine inter nudos bibant, immo potent et sudorem quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, subinde destringant.* ep. 51 4: *Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic ne inter popinas quidem. Videre ebrios per litora errantes et comessationes navigantium et symphoniarum cantibus strepentes lacus et alia, quae velut soluta legibus luxuria non tantum peccat, sed publicat, quid necesse est?*[1]) (cf. Juv. 11 49.)

Postremo Juvenalis, ut in diatribis eiusmodi sollemne erat,[2]) nobilium ignobiliumque hominum memoriam comparat ac facinoribus Cethegi et Catilinae[3]), quem Seneca quoque commemorat,[4]) gloriam Ciceronis[5]) Marii[6]) Deciorum[7]) opponit, virorum ignobili genere ortorum sed optime de republica meritorum. Marii laudem Cicero ipse non solum in orationibus praedicat, sed etiam d. leg. 2. 6, par. 16; et apud rhetores vulgare est eorum nomina coniungere.[8]) Deciorum, Mucii, Coclitis[9]) decus Cicero[10]) et Seneca[11]) persaepe extollunt cf. Cic. par. 12. *Quae res ad necem Porsennae C. Mucium impulit sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Quae patrem Decium, quae filium devota vita immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabrici,*[12]) *quid tenuitas victus M.'Curi*[13])

---

1) In sordidissima loca, ubi sentina urbis et enervata iuventus voluptati libidinique indulget, Seneca nos ducit d. vit. beat. 7. 3. — In homines Syrophoenicibus similes Dio Chrys. acriter invehitur or. VII. 133. p. 138 sq.

2) cf. Wendland, Ph. etc. p. 55.

3) Juv. v. 231. 4) de ira III. 18. 2. ben. V. 16. 1. cf. Cic. par. 27. Plut. praec. reip. ger. 14. 7. p. 809 E. 5) cf. v. 236.

6) cf. 245. 7) cf. 254. 8) cf. Mayor ad v. 245.

9) Juv. v. 264.

10) de sen. 74. deor. n. 3. 15. off. 1. 61. 3. 16. Tusc. 1. 89. 2. 59. fin 2. 61. 5 64. div. 1. 51. — leg. 2. 10.

11) de prov. 3. 4, 5. ben. VII. 15. 2. ep. 24. 5. 66. 51. 76. 20. 98. 12. 120. 7.

12) cf. 11. 91. 13) cf. v. 4 (Cic. de sen. 15).

sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones?[1]) — Quamvis *decantatae . . . in omnibus scholis fabulae istae*[2]) essent, tamen his exemplis probari non potest Juvenalem solam artem rhetorum vel declamatorum imitari, quoniam auctor quoque, quocum Plutarchus personatus altercatur cap. 10, Aristidem Socratem, Cynaegirum nobiliores fuisse Mida, Sardanapallo, Xerxe exponit et eodem consilio Ps. Galenus Themistoclem laudat, quod ignobilem originem sua virtute ornaverit. — Ac Senecae illud praeceptum noster sequitur, cum maiorum famam et integritatem summis laudibus efferat: *Proderit non tantum*, inquit ille, *quales esse soleant boni viri, dicere formamque eorum et lineamenta deducere*[3]) *sed quales fuerint narrare, et exponere . . . . . Catonis domi forisque egregia facta*[4]) . . . . . (ep. 95. 72.)

XII.

De hominum depravatione et de conscientia (sat. XIII).

Satura tertia decima monumentum philosophiae vere popularis mihi videtur. Praeclare Juvenalis describit, quomodo homines conscientia malefacti continuo vexati ad peiora impellantur, ut iustam poenam effugere non possint. Haec est eadem sapientia, quae reperitur in multis proverbiis ut in eo, quod exstat apud Quintilianum V. 11. 41: *Conscientia mille testes.*[5]) — Poeta antequam id explicat, quod pronuntiat vv. 1—4, multa verba de perfidia[6]) facit, quae ubique nunc[7]) inveniatur.

Jam dudum tempus praeterisse ait, cum improbitas impietasque inauditae essent.[8]) Illam antiquissimam sive aureamaetatem, qua Saturnus mundum regebat,[9]) non solum poetae sed etiam philosophi vel ii, qui sapientiae studiosi videri volebant ut Maximus Tyrius et Dio, celebrare solebant.[10]) Dissertatio illius tricesima sexta, cuius originem Cynicam Hobein comprobavit[11]), tota perlegenda est, ut maximam similitudinem iuter hanc et priorem partem saturae Juvenalis intercedere appareat. — Aeque atque Cicero[12]) in satura quinta decima[13]) noster ostendit, quomodo illis temporibus homines divina ratione imbuti coeperint

---

1) cf. v. 3. 2) Sen. ep. 24. 6. 3) cf. 79. sq. 4) cf. 11.90.
5) cf. Otto, die Sprüchw. u. sprüchwörtl. Redensarten der Römer, 421.
6) De fide et de diffidentia scripsit Dio Chr. or. 73 et 74.
7) cf. vv. 28, 60. sq. 8) Juv. v. 53. sq.
9) cf. v. 40; 6. 1. (Lucian. Sat. 20; Max. T. 36 [20] 1.
10) cf. E. Weber, stud. Lips. X p. 118. sq. Norden, Beiträge z. Gesch. d. gr. Philos. (annal. philol. suppl. 19) III p. 411. sq.
11) de Maximo Tyrio p. 84. 93. 12) Tusc. V, 5. 13) vv. 149—158.

dispersos trahere in populum, migrare vetusto
de nemore et proavis habitatas linquere silvas
aedificare domos, laribus coniungere nostris
tectum aliud, tutos vicino limine somnos
ut collata daret fiducia eqs.

Tu [scil. philosophia] *urbis peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis . . . . iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti.*[1])

Tempora autem praesentia a praeteritis valde differre Juvenalis iisdem fere verbis usus quibus Seneca et Plinius ibidem queritur.[2]) *Convicium* enim *saeculi*[3]) apud philosophos etiam magis pervulgatum erat quam apud rhetores.[4]) Sed quotienscumque de nequitia hominum disputatur, semper audias nullam probitatem, nullam fidem esse inter homines et alium fallere alium. cf. Dio Chr. 74.12, sq. p. 259 Ἡ γὰρ ⟨scil πίστις⟩ ἐκ τῶν λόγων καὶ τῆς συνηθείας καὶ τῶν ὅρκων καὶ τοῦ γένους καταγέλαστος.[5]) Seneca quoque deliberat tranq. an. 15.1 *quam sit rara simplicitas et quam ignota innocentia et vix umquam . . . . fides* eqs.[6]) cf. Juv. 13.26.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portae etc.

Ac primum Juvenalis Calvinum consolatur quem deposito amicus quidam defraudavit.[7]) Quomodo vitae incommoda feramus non modo philosophorum libris sed etiam vita magistra discendum esse explicat v. 19. sq. Similiter Epictetus monet I. 4. 5. sq. eum ad sapientiam non progressum esse, qui multos libros Chrysippi legisset.[8]) Idem fere ac noster Seneca sentit ep. 71.30. *Sapiens quidem vincit virtute fortunam*[9]) cf. Juv. 20. Deinde id solatium affert ,quod nemo philosophus omittit.[10]) cf. Sen. ad Pol. 1.3. *Maximum ergo solatium est cogitare id sibi accidisse,quod ante se passi sunt omnes omnesque passuri.*[11]) cf. Juv. vv. 8 sq, 23 sq, 72 sq, 126 sq. M. Aurelius hortatur, ut cogitemus nihil novi malitiam esse 7.1. Τί ἐστι κακία; τοῦτ' ἔστιν, ὃ πολλάκις εἶδες. Καὶ ἐπὶ παντὸς δὲ τοῦ συμβαίνοντος πρόχειρον ἔχε, ὅτι τοῦτό ἐστιν, ὃ πολλάκις εἶδες κ. τ. λ (cf. Juv. 16. sq.) Juvat denique hunc Senecae locum cum verbis Juvenalis conferre:

---

1) cf. Mayor et Friedl. ad vv. 149—158. (v. cap. IX p. 58.)
2) Sen. ep. 95.31; clem. I. 26.4; Plin. n. h. 7.5; Phil. opif. mundi c. 49; Friedl. et Mayor ad vv. 159—164; Bonhoeffer, die Eth. d. St. Epict. 134, 141.
3) Sen. contr. II praef. cf. Hirzel, Dial. II 239.
4) cf. Wendland, Phil. etc. p. 38 sq. 5) cf. Juv. v. 35.
6) cf. Max T. 36(20). c. 2; 6(36) cap. 3; — p. 8; Mayor ad v. 26.
7) De reddendo deposito philosophos libenter disputavisse apparet ex his locis: Cic. Tusc. 3.17; off. 1.31; 3.95; par. 21. Sen. ben. 4.10. (Ps. Phoc. 13).
8) cf. II. 19; M. Aur. 2.3. 9) cf. ep. 82.5.
10) cf. Cic. Tusc. 3.77 (Juv. vv. 7 et 72).
11) cf, Sen. ad Marc. 9.5; ep. 107.

ben. VII. 26. 1. *Quaeris, quemadmodum ingrati ferendi sint. Placido animo, mansueto, magno*[1] . . . *non est, quod indigneris, tamquam aliquid novi acciderit;*[2] *magis mirari deberes, si non accidisset*[3] . . . . *Adspice, quemadmodum immensae hominum cupiditates hient semper et poscant*[4] *non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accepit.*[5] *Jnter adfectus inquietissimos rem quietissimam, fidem, quaeris?*

Ne iura quidem iuranda ab hominibus perditis servari noster monstrat vv. 76. sq. Animos periurorum optime describit 86—119. Etiam eos, qui deos esse credant et metuant, ne poena facinus sequatur, proterva fronte peierare[6] ait sperantes aut lentam fore iram deorum[7] aut placabilem.[8] Simile quicquam atque haec verba nusquam inveni et ignoro, an nemo melius narraverit, quomodo peccaturi eiusmodi deliberationibus animi angorem tollere studerent. Haec autem est sapientia vere popularis. Neque enim multis verbis Stoicorum ratione disseritur sapientem, quippe cui externa ἀδιάφορα sint omnesque cupiditates illicitae, desinere divitias cupere aut ob eas scelera committere, sed simpliciter exponitur etiam periuros non sine ullo timore poenae divinae esse.

Multa esse mala maiora fraude Juvenalis explicat vv. 126 sq., ut amicus malum admodum parvum sibi accidisse cognoscat.[9] In his sacrilegia numerat,[10] quae a philosophis persaepe perstringi consentaneum est.[11]

Venio nunc ad alteram saturae partem, in qua narratur, quibus tormentis homines conscii malefacti excrucientur.[12] Paucis verbis summam eius proposuit vv. 1—4:

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
displicet auctori; prima est haec ultio, quod se
iudice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
gratia fallaci praetoris vicerit urna.

Eandem sententiam praebet Seneca ep. 42. 2 . . . . *nec ulla maior poena nequitiae est quam quod sibi ac suis displicet* de ira III. 26. 2 *Maxima est enim factae iniuriae poena fecisse, nec quisquam gravius afficitur quam qui ad supplicium poenitentiae traditur.* cf. Phil. fr.[13] II. 649 Ὁ νοῦς ἐν ἑκάστῳ μάρτυς ἐστὶν ὧν ἐν ἀφανεῖ ἐβου-

---

1) cf. Juv. vv. 11, 12, 143.
2) cf. 8 sq. 3) cf. vv. 60 sq. 4) cf. 23 sq. 5) cf. v. 34.
6) cf. Max. Tyr. 36 (20). 2 καὶ δεδιότες μὲν ⟨τοὺς θεοὺς⟩ ὡς κολάζοντας, ἐπιορκοῦντες δὲ ὡς οὐδὲν ὄντας.
7) cf. v. 100. 8) cf. v. 102. 9) cf. Cic. Tusc. 3. 77.
10) 147 sq. (cf. 8. 106; 14. 260 sq).
11) cf. Plat. leg. X cap. 1 sq. Cic. leg. 2. 40; Phil. II 642; Tel. 32. 15 ed H., Sen. ben. I. 10. 4, V 14. 2, VII. 7 1 sq. 27. 2; prov. 5. 3. 87. 22 sq. (cf. L. Schmidt. d. Ethik d. alten Gr. I p. 62 sq).
12) cf. Wunder, Seneca quid de dis senserit. Grimae 1879. Stob. flor. cap. 24. 13) περὶ ἀναστ. καὶ κρίσ. ap. Joh. Damasc. sacr. parall. 349 B.

λεύσαντο, καὶ τὸ συνειδὸς ἔλεγχος ἀδέκαστος καὶ πάντων ἀψευδέστατος. Cic. par. 18 . . . . *te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorum atque legum, quocumque adspexisti, ut furiae sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te suspirare libere non sinunt.*[1]) cf. Juv. vv. 192 sq.

Cur tamen hos tu
evasisse putes, quos diri conscia facti
mens habet attonitos et surdo verbere caedit
occultum quatiente animo tortore flagellum?
Poena autem vehemens ac multo saevior illis,
quas et Caedicius gravis invenit et Rhadamantus
nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Non mirum est, quod mala conscientia, qua omnes peccantes semper eodem modo vexantur, iterum atque iterum paene iisdem verbis describitur. cf. Sen. ep. 97. 14. . . . . *nec ullum scelus . . . . impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est . . . . Hic consentiamus mala facinora conscientia flagellari et plurimum illi tormentorum esse eo, quod perpetuo illam sollicitudo urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere* eqs. ep. 105. 7 sq. . . . . *Trepidant enim cum fecerunt; haerent. Conscientia aliud agere non patitur ac subinde respondere ad se cogit . . . . putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi. Et inter somnos movetur et, quotiens alicuius scelus loquitur, de suo cogitat* etc.[2]) cf. Juv. vv. 211 sq.

Perpetua anxietas, nec mensae tempore cessat,
. . . .
217 Nocte brevem si forte indulsit cura soporem
et toto versata toro iam membra quiescunt,
continuo templum et violati numinis aras[3])
et, quod praecipuis mentem sudoribus urguet,
te videt in somnis.

Malos homines somniis et fulminibus terreri Plutarchus scribit s. num. vind. 10: Καὶ γὰρ ὄψεις ἐνυπνίων, καὶ φάσματα μεθημερινὰ καὶ χρησμοὶ καὶ καταιβασίαι καὶ ὅ, τι δόξαν ἔσχεν αἰτίᾳ θεοῦ περαίνεσθαι, χειμῶνας ἐπάγει καὶ φόβους τοῖς οὕτω διακειμένοις. cf. Juv. v. 223

Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent etc.

Naturam peccantium Juvenalis non aliter describit ac Seneca d. ot. 1. 2: *Nam inter cetera mala illud pessimum est, quod vitia*

---

1) cf. leg. 1. 40; fin. 2. 53. Sen. de ira II. 30. 2. Plut. de ser. num. vind. 9. 554 B; 6. tranq. an. 19 p. 476 F. (Bonhoeffer, die Ethik des St. Epict. 9, 13[9]).

2) cf. ep. 43. 5, 97. 13 fr. 14; de clem. I. 13. 3 (tr. an. 2). Plut. non posse suaviter v. sec. Ep. 6. 1.

3) Sacrilegi et furis metum divinae vindictae depingit Seneca ep. 78. 22.

ipsa mutamus. Sic ne hoc quidem nobis contingit permanere in malo iam familiari. Aliud ex alio placet vexatque nos hoc quoque, quod iudicia nostra non tantum prava sed etiam levia sunt etc.[1]) cf. Juv. v. 236

Mobilis et varia est ferme natura malorum eqs.

Ad nova flagitia homines semper incitari idem explicat ep. 41. 21: *Levis est malitia, saepe mutatur, non in melius, sed in aliud.* cf. Juv. 239

. . . . . *ad mores natura recurrit*
damnatos fixa et mutari nescia eqs.
243. *Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno flagitio?* eqs.

cf. Sen. clem. I. 1. 7 *nec tam temperatae cupiditates sunt umquam, ut in eo, quod contingit, desinant. Gradus a magnis ad maiora fit* etc.[2])

Plutarchus aeque atque Juvenalis malos in peccando audaces et timoris expertes esse, scelere autem commisso iniuriam intellegentes animis deficere exponit s. num. vind. cap. 10. Ἡ γὰρ ἰταμότης ἐκείνη καὶ τὸ θρασὺ τῆς κακίας ἄχρι τῶν ἀδικημάτων ἰσχυρόν ἐστι καὶ πρόχειρον, εἶτα τοῦ πάθους ὥσπερ πνεύματος ὑπολείποντος ἀσθενὲς καὶ ταπεινὸν ὑποπίπτει τοῖς φόβοις καὶ ταῖς δεισιδαιμονίαις.[3]) cf. Juv. v. 237.

Deos non modo malefacta sed etiam malam mentem ac voluntatem punire demonstratur exemplo Glauci Lacedaemonii, cuius Plutarchus quoque mentionem inicit ser. num. vind. cap. 11. Simili modo Seneca iniurias non minus voluntate quam facto iudicari[4]) ostendit const. 7. 4 *Omnia scelera etiam ante effectum operis, quantum culpae satis est, perfecta sunt.* cf. ir. I. 3. 1 . . . . . . *iniuriam qui facturus est, iam facit* (ben. V. 14. 2) cf. Juv. 209 sq.

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
facti crimen habet.

Poenas maleficiis aliquando seras occupato deo in tanta mole, numquam autem irritas esse, quod Plinius dicit n. h. II. 26, noster ultimo versu profitetur:

fatebere laetus
nec tardum nec Teresian quemquam esse deorum.

cf. Plut. ser. num. vind. 6. δίδωσι ⟨scil. θεὸς⟩ τοῦ μεταβάλλεσθαι χρόνον. Ἐὰν δ' ἐπιμένωσι, καὶ τούτοις ἀπέδωκε τὴν δίκην· οὐ γάρ που δέδιε, μὴ διαφύγωσι.[5])

---

1) cf. Plut. d. s. num. vind. 11 p. 556 CD.
2) cf. ep. 25. 3; brev. v. 6. 3; clem. I. 13. 2.
3) cf. Juv. vv. 223—232.
4) Eandem doctrinam invenimus in Arist. eth. Nic. 1111 B. 5 (apud Ps. Phoc. v. 52) cf. L. Schmidt, D. Ethik d. alten Gr. I 58. 5) cf. cap. XV.

XIII.

De pravis hominum studiis et de artibus liberalibus.

Reliquum est, ut quaeramus, quomodo Juvenalis mentis quoque perversitates aspernetur. Ac primum intueamur vana illa studia, quae non semel indignatur. — Neminem esse Romae ait, quin declamationes aut carmina faciat, quocumque venias, semper recitantes poetas reperiri.[1]) Qui quam molesti fuerint, etiam Senecae verba docent: ep. 122. 11 . . . *itaque cum indignaretur quidam illum tota die recitasse* . . . Lucianus quoque aetatem suam dicacissimam appellat: quom. hist. conscr. 4 Καὐτὸς οὖν . . . ὡς μὴ μόνος ἄφωνος εἴην ἐν τούτῳ πολυφώνῳ τῷ καιρῷ κ. τ. λ.[2]) Ne temere recitationes audiant, Epictetus discipulos monet: man. 33. 11. Εἰς ἀκροάσεις τινῶν μὴ εἰκῇ μηδὲ ῥᾳδίως πάριθι· παριὼν δὲ τὸ σεμνὸν καὶ τὸ εὐσταθὲς καὶ ἀνεπαχθὲς φύλασσε.

Deinde noster iis insultat, qui tales versus aut declamationes turpi adulatione applaudunt.[3]) Idem Lucianus ac Seneca vituperant: L. ad ind. 7 τὸ αὐτὸ δὴ καὶ σὺ πάσχων οὐχ ὁρᾷς, ὁπόταν τὸ μὲν βιβλίον ἐν τῇ χειρὶ ἔχῃς πάγκαλον[4]), πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὴν διφθέραν, χρυσὸν δὲ τὸν ὀμφαλόν, ἀναγιγνώσκῃς δὲ αὐτὸ βαρβαρίζων[5]) καὶ καταισχύνων καὶ διαστρέφων, ὑπὸ μὲν τῶν πεπαιδευμένων καταγελώμενος, ὑπὸ δὲ τῶν ξυνόντων σοι κολάκων ἐπαινούμενος. cf. Juv. 3. 86 sq. Etiam Plutarchus et Epictetus eos acriter vituperant, qui has recitationes sive poetarum sive sophistarum audientes inepte exclament.[6]) Maxime Juvenalis iis irascitur, quibus turba clientium et libertorum sportula aut cena conducta, quamvis imperiti et indocti sint, carmina vel orationes declamare libet. cf. 7. 41 sq.; 13. 32. Simili modo Lucianus in eo libro, quo rhetorum studia artesque maxime ludos facit, clamorem plausumque auditorum ita comparandos esse faceta dissimulatione usus exponit.[7]) Quamquam satura septima a diatribis philosophorum discrepat, tamen hic nonnulla reperiuntur, quae in illis quoque occurunt. Ut Demonax, quo tum neminem philosophum clariorem fuisse biographus nimiam laudem attribuens existimat, malos poetarum versus reprehendisse dicitur: cap. 44 (12). cf. Juv. 7. 38 sq. Idem veteres et insignes poetas, quos Juvenalis quoque laudat[8]), permagni putabat. cf. cap. 4.[9])

Acerbius rhetorum et grammaticorum ineptiae improbantur[10]); neque enim in hac satura ii, qui labores magistrorum

1) cf. 1. 1 sq. 3. 9. 7. 36 sq. 82 sq.
2) cf. Juv. 1. 1 sq. ⟨ 15. 110. ⟩
3) 3. 90. 4) cf. 2. 5 sq. 5) cf. 3, 90 sq.
6) Plut. aud. poet. 15; de se ips. citra inv. laud. 12 (p. 543E); Ep. III. 23. 32. 7) rhet. praec. 21 (cf. Epict. III. 23. 27). 8) 7. 53 sq; 11. 180 sq.
9) Malae condicionis rerum scriptorum Juvenalem miseret vv. 98—104. Nec vero sine irisione haec misericordia est, cum eorum furorem scribendi illudat, quem Seneca quoque praeteriens carpit ep. 95. 2.
10) vv. 150 sq. (cf. 1. 16; 16. 22 sq.).

eloquentiae satis remunerari nolunt magis castigantur, quam ii qui has nugas docent. Consentit noster cum Luciano: bis accus. 31 sq. 32. καλῶς εἶχέ μοι . . . θορύβων μὲν ἐκείνων[1]) καὶ δικῶν ἀπηλλάχθαι καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς δικαστὰς ἀτρεμεῖν ἐᾶν, τυράννων κατηγορίας[2]) καὶ ἀριστέων ἐπαίνους[3]) ἐκφυγόντα . . . . . De philosophorum et rhetorum simultate nihil amplius proferam, quoniam de hac re alii permulta scripserunt.[4]) — Grammaticorum ludi eodem modo a nostro ac Seneca detrectantur. cf. 7.233

⟨ praeceptor ⟩ *dicat*
nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annis,
quot Siculi Phrygibus vini donaverit urnas.

Aequalia exempla Seneca affert ep. 88.32, ut inutiles grammaticorum quaestiones aperiat: *Quattuor milia librorum Didymus grammaticus scripsit; miser, si tam multa supervacua legisset. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his libidinosior Anacreon an ebriosior vixerit, in his, an Sappho publica fuerit; et alia, quae erant dediscenda, si scires.*[5]) Etiam cum Diogenis et Bionis verbis Juvenalis versus arte cohaerent. cf. Stob. 4.52 (H. p. 233) Βίων ἔλεγε τοὺς γραμματικοὺς ζητοῦντας περὶ τῆς Ὀδυσσέως πλάνης μὴ ἐξετάζειν τὴν ἰδίαν μηδὲ καθορᾶν, ὅτι ἐν αὐτῷ τούτῳ πλανῶνται πονοῦντες περὶ τὰ μηδὲν χρήσιμα. cf. D. L. VI. 27. — Nostrum cum Cynicis et Seneca convenire, qui omnino artes liberales parvi aestimabant[6]), ex his quoque verbis sequitur: 11.23

Illum ego iure
despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlans
omnibus in Lybia sit montibus, hic tamen idem
ignoret, quantum ferrata distet ab arca
sacculus.[7])

---

1) cf. 7.108 sq. 2) cf. 7.151.
3) 7.161 (cf. Pers. 3.45). — cf. rh. pr. 17, 18; dial. mort. 10.10.
4) v. Arnim, Dio v. Pr. p. 73 sq.; Rohde, d. gr. Roman, p. 320. Norden, ant. Kunstpr. I 250². Wachsmuth, sillogr. Gr. p. 67.
5) cf. ep. 88.5 sq.; 108.30; brev. vit. 13.2 sq.
6) cf. Wachsmuth sillogr. Gr. p. 66 sq. — Sen. ep. 88; 59.15 cf. M. Aur. 1.17; 2.2, 3, 13. (Ceb. tab. 33. Stob. II. 131.116 p. 229 W. ἐκ τῶν Σερήνου.)
7) (cf. 3.76) cf. D. L. IV. 53 (Max. Tyr. 37 [21], 7 p. 147.42 Duebn.).

XIV.

De superstitione.

Porro superstitione impugnanda Juvenalis mentis perversitatem detegere in animum inducit. Ut mulieribus vitio dat, quod haruspicina,[1] astrologia, somniorum interpretatione futura explorare velint.[2] cf. 6. 542 sqq.

548 *Spondet amatorem tenerum vel divitis orbi*
testamentum ingens calidae pulmone columbae
tractato Armenius vel Commagenus haruspex.

. . . .

553 *Chaldaeis sed maior erit fiducia; quidquid*
dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis eqs. — — cf. 3. 42 sq.

Motus
astrorum ignoro; funus promittere patris
nec volo nec possum.[3] (cf. 10. 94.)

Similiter Crates Cynicus narrat in Luc. dial. mort. 11. 1 duos homines locupletes, postquam alter alterum heredem destinaverit, astrologos et coniectores consuluisse, uter prius moreretur.[4] — De astrologiae vanitate[5] multa disputaverunt Cicero,[6] Seneca,[7] Favorinus.[8] Nec minus Cynici artes eorum impugnabant.[9] Somniorum denique coniecturam Cicero in altero libro, quem scripsit de divinatione, repudiat 119—142.[10] cf. Juv. 6. 542:

Cum dedit ille locum, cophino faenoque relicto[11]
arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
interpres legum Solymarum et magna sacerdos
arboris ac summi fida internuntia coeli.
Implet et illa manum sed parcius; aere minuto
qualiacumque voles Judaei somnia vendunt.[12]

cf. Luc. deor. conc. 12 Τὸν Τροφώνιον, ὦ Ζεῦ, καὶ ὃ μάλιστά με ἀποπνίγει, ὃς ἐναγοῦς ἀνθρώπου καὶ μητραλοίου υἱὸς ὢν μαντεύεται

---

1) cf. Cic. de div. II 28-37 (v. 33).
2) Vatum praedictiones Epictetus neglegere iubet II 7, quamquam divinationem non impugnat. Bonhoeffer, die Ethik des St. Epict. 44.
3) cf. Ep. II 7. 9. 4) cf. M. Aur. 4. 48.
5) cf. Sext. Emp. lib. V. — Maxime Carneades astrologiae adversarius exstitit. Boll, N. Jbb. Sppl. 21. Schmekel, d. Philos. d. m. Stoa 155 sqq. (Zeller III 1^3, 511). Artem magicam respuit Ps. Phocyl. 149.
6) de div. II 87—99. 7) ep. 88. 14 sq. 8) ap. Gell. 14. 1.
9) cf. Diog. L. VI 73 Bion ap. St. ecl. II 20 p. 7 W. (Luc. Icarom.). — Norden, annal. philol. supplem. 18 (1891) p. 269 sq. Plato quoque astrologiam aspernatus est. cf. Tim. 40 C (Zeller II 1^4. 931).
10) cf. Sen. const. sap. 11. 1. Theophr. char. 16. 11) cf. 3. 14.
12) cf. Friedl. ad vv. 542—546.

ὁ γενναῖος ἐν Κιλικίᾳ ψευδόμενος τὰ πολλὰ καὶ γοητεύων τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν ἕνεκα. Etiam Diogenem Cynicum coniectores obiurgasse memoriae proditum est per Diog. L. VI. 24 . . . . ὅτε δὲ πάλιν ⟨ἴδοι⟩ ὀνειροκρίτας καὶ μάντεις καὶ τοὺς προσέχοντας τούτοις . . . . οὐδὲν ματαιότερον νομίζειν ἀνθρώπου.

Judaeorum mores,[1]) quos Romae multi imitabantur, insaniae plenos esse Juvenalis dicit 14. 96:

Quidam sortiti metuentem[2]) *sabbata patrem*
nil praeter nubes et caeli numen adorant,
nec distare putant humana carne suillam,[3])
qua pater abstinuit, mox et praeputia ponunt;
Romanos autem soliti contemnere leges
Judaicum ediscunt et servant ac metuunt[2]) *ius,*
tradidit arcano quodcumque volumine Moyses,
non monstrare vias eadem nisi sacra colenti[4])
quaesitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
ignava et partem vitae non attigit ullam.[5])

Senecam sacramenta Judaeorum sprevisse Augustinus refert. cf. fr. 41. 42 *Hic inter alias civilis theologiae superstitiones reprehendit etiam sacramenta Judaeorum et maxime sabbata, inutiliter id eos facere adfirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem aetatis suae perdant vacando et multa in tempore urgentia non agendo laedantur . . . . Cum interim usque eo sceleratissimae gentis consuetudo convaluit, ut per omnes iam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt.* cf. ep. 95. 47. Plut. de superst. c. 8 p. 169 C; 3 p. 166 A. Qui Judaeorum personam mentiantur, Epictetus quoque vehementer vituperat II. 9. 20. Nescio an Seneca eos tangat ep. 108. 22.[6]) *In Tiberii Caesaris principatum iuventae tempus inciderat; alienigena tum sacra movebantur; sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia.*[7])

Juvenalem ista verba scripturum non fuisse, nisi Iudaeis singulare studium impertivisset, quod Friedlaender annotat p. 553 (cf. p. 32), nullis gravibus argumentis fulciri potest. Romae persaepe opprobria

---

1) cf. Mayor ad vv. 96—106.

2) Bernays Juvenalem hoc verbo uti existimat, ut eos significet, qui genere non Iudaei eorum fidem profitebantur et σεβόμενοι vel φοβούμενοι Graece nominabantur. Fortasse autem hac voce severitatem quoque dei Iudaeorum adumbrare voluit. Plutarchus quidem eius mentionem facit de St. rep. 38. 2: Καίτοι χρηστοὺς οὐ πάντες εἶναι τοὺς θεοὺς προσελάμβανον. Ὅρα γὰρ οἷα Ἰουδαῖοι καὶ Σύροι περὶ θεῶν φρονοῦσιν. 3) cf. 6. 160.

4) cf. Cic. off. 3. 54; Sen. ben. IV 29. 1; ep. 95. 51. 5) cf. 6. 159.

6) cf. Suet. Tib. 36.

7) Quare Iudaei carne suilla abstinerent, Plutarchus quaesivit conv. q. IV. 5 (IV. 4. 4) cf. Sext. Emp. Pyrrh. hyp. III 24. 223 Ἰουδαῖος μὲν γὰρ . . . θᾶττον ἂν ἀποθάνοι ἢ χοιρεῖον φάγοι.

in Judaeos, quorum numerus ibi permagnus erat,[1]) dicta esse conspicuum est. Neque dubium est, quin Diogenes et Heras Cynici[2]) in orationibus, quibus Tito crimini vertebant, quod Berenicae[3]) nuptias pollicitus esset, etiam superstitionem Judaeorum illuserint. Gravius est, quod Apio grammaticus legatione ad Caligulam suscepta Judaeorum religionem incusavit, quam orationem Josephus refutare studuit. Rerum scriptores, cum Judaeos commemorabant, superstitionem eorum silentio praeterire non poterant.[4]) Quam philosophos quoque insectatos esse Juvenalis aetate et antea satis comprobatum est. Quae cum ita essent, noster ritus eorum facile cognoscere potuit. —

Aegyptiorum ritus immanes vehementer increpantur in satura quinta decima. — Fieri non potuit, quin philosophi, qui deos summa ratione praeditos esse semper contendebant, maxime in eo offenderent, quod illi beluas avesque adorabant. Velut Cicero:[5]) *Aegyptiorum morem*, inquit, *quis ignorat? quorum imbutae mentes pravitatis erroribus*, *quamvis carnificinam subierint quam ibim aut aspidem aut felem aut canem aut crocodilon violent*, *quorum etiamsi imprudentes quippiam fecerint*, *poenam nullam recusent.* cf. Juven. 1 sq. Phil. de virt. et leg. ad Gai. 20 II 566 Κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας καὶ κροκοδείλους καὶ ἄλλα πλείονα θηρία καὶ ἔνυδρα[6]) καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες, ὑπὲρ ὧν βωμοὶ καὶ ἱερὰ καὶ ναοὶ καὶ τεμένη κατὰ πᾶσαν Αἴγυπτον ἵδρυνται.[7]) cf. Sen. de superst. fr. 31 . . . *numina vocant*, *quae si spiritu accepto subito occurrerent*, *monstra haberentur.*[8]) — Propter diversorum animalium venerationem duos vicinos litigantes in Aegypto sese vidisse Plutarchus scribit am. 12. 2. Ob eandem causam inter Cynopolitas et incolas Oxyrynchi cruentas rixas ortas esse idem refert d. Is. e. Os. 72. Atque Guilelmus de Christ suspicatur nostrum de eadem re cogitavisse.[9]) — Alios philosophos alias quoque superstitiones Aegyptiorum improbasse inter omnes constat, ut Cicero Cynicorum et Stoicorum vestigia sequens humationem eorum et curam corporum post mortem servandorum non sine vituperatione commemorat Tusc. 1. 108.[10])

Fabulas Graecorum, quas de deis vulgus narrabat, interdum more Cynicorum Juvenalis cavillatur et neminem nisi pueros eas credere dicit. Sicut homines turbam deorum cenantem fingit 13. 42 sq. At totum locum proponam:

38. *Quondam hoc indigenae vivebant more, priusquam*
sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc, cum virguncula Juno
et privatus adhuc Idaeis Juppiter antris,

---

1) cf. Friedl. Sittengesch. III 618. 2) cf. D. Cass. 66. 15.
3) [cf. Juv. 6. 156]. 4) cf. Tac. hist. 5. 2 sq. 5) Tusc. V 78
6) cf. v. 7. 7) cf. v. 4. 8) cf. Mayor II² p. 356 sq.
9) Sitzungsberichte der bayr. Akad. 1897.
10) cf. Tel. rel. ed. Hense LXXXVII sq.

nulla super nubes convivia caelicolarum
nec puer Iliacus formonsa nec Herculis uxor
ad cyathos, etiam siccato nectare tergens
bracchia Vulcanus Liparaea nigra taberna,
prandebat sibi quisque deus, nec turba deorum
talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
numinibus miserum urguebant Atlanta minori
pondere; nondum aliquis sortitus triste profundi
imperium aut Sicula torvos cum coniuge Pluton,
nec rota nec furiae nec saxum aut vulturis atri
poena, sed infernis hilares sine regibus umbrae.

Quamquam in eo carmine sacrilegi castigantur et prisci laudantur, qui piis animis deos colebant, tamen haec verba facetiis non carent. Quisnam non reminiscitur, cum ea legit, Luciani sermonum, in quibus undique dis humana natura attribuitur? Iucunditas enim et hilaritas versuum valde ab ira et indignatione differt, qua poeta aliis locis instigatur.[1] — Conspirat ille cum Juvenale in decimo deorum dialogo, ubi Apollinem Saturni aetatem Jovis regno praeferentem facit c. 2. Illum numquam e caelo descendisse ait, ut cum feminis mortalibus concumberet.[2])

De Jovis Martisque amoribus iocatur 6. 58:

Quis tamen adfirmat nil actum montibus aut in
speluncis? Adeo senuerunt Juppiter et Mars?

cf. Dio Chr. VII. 143 p. 141 D. Simultas Junonis[3]) his quoque verbis indicatur: 6. 618:

Ardebant cuncta et facta compage ruebant
non aliter quam si fecisset Juno maritum
insanum.

(cf. 13. 40.)

Persaepe talia in Luciani dialogis occurruut. cf. deor. conc. 7: τὴν γάρ τοι ἀρχὴν τῶν τοιούτων παρανομημάτων καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ νοθευθῆναι ἡμῶν τὸ ξυνέδριον σύ, ὦ Ζεῦ, παρέσχες θνηταῖς ἐπιμιγνύμενος καὶ κατιὼν παρ' αὐτὰς ἐν ἄλλοτε ἄλλῳ σχήματι . . . . Jup. tr. 2 ῞ΗΡΑ. Οἶδα τὸ κεφάλαιον αὐτὸ ὧν πάσχεις, ὅτι ἐρωτικόν ἐστιν. οὐ μὴν κωκύω γε ὑπὸ ἔθους ἤδη πολλάκις ὑβρισθεῖσα ὑπὸ σοῦ τὰ τοιαῦτα κ. τ. λ.[4]) Apud Lactantium[5]) legimus Senecam quoque

---

1) cf. Jessen, Witz und Humor im Juvenal, Phil. 47 p. 320.

2) cf. 6. 14–16; 6. 1: *Credo pudicitiam Saturno rege moratam in terris visamque diu . . .*

3) Voce virgunculae fortasse etiam de pudicitia Junonis iocose dubitatur cf. Luc. sacr. 6 ὅμοια δὲ τούτοις καὶ περὶ τῆς ῞Ηρας ᾄδουσιν ἄνευ τῆς πρὸς τὸν ἄνδρα ὁμιλίας ὑπηνέμιον αὐτὴν παῖδα γεννῆσαι τὸν ῞Ηφαιστον κ. τ. λ.

4) cf. Charid. 7, 8; deor. dial. 6. 3; 5.

5) L. inst. II. 16. 10: *Non illepide Seneca in libris moralis philosophiae.* — cf. Cic. Tusc. 4. 70. (Clem. protr. 33, 37.)

adulteria Jovis ludibrio habuisse. fr. 119: *Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est et illi lex Papia fibulam imposuit? An impetravit ius trium liberorum? An tandem illi venit in mentem: ab alio exspectes, alteri quod feceris,*[1] *et timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno?*

Eodem modo Juvenalis Martis Venerisque stupra legi Juliae de adulteriis opponit 2. 30

. . . . qui tunc leges revocabat amaras
omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas.

Institutiones autem et consuetudines humanas Lucianus quoque in deos non semel transfert.[2] — Quae Homerus de Marte Venereque in adulterio oppressis narraverat, adeo in populo erant vulgata, ut fieri non posset, quin praeter reliquos philosophos Cynici quoque haec occuparent, cf. Luc. deor. dial. 17 . . . γελοιότατα . . . εἶδον . . . ἡ Ἀφροδίτη ξυνοῦσα τῷ Ἄρει κατείληπται καὶ ὁ Ἥφαιστος ἔδησεν αὐτοὺς ξυλλαβών[3] . . . cf. Juv. 10. 313:

nec erit felicior astro
Martis ut in laqueos numquam incidat.[4]

Imbecillitas eius luditur 14. 260

ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit et res
non potuit servare suas.

Sacrilegos a dis non semper puniri saepius philosophi disseruerunt.[5] cf. Sen. nat. quaest. II. 42. 1: *Quid tam imperitum est, quam credere fulmina e nubibus Jovem mittere . . . , uti impunitis sacrilegis . . . pecudes innoxias feriat.*

Convivia caelestium (13. 42) saepenumero non modo comici poetae sed etiam Cynici rident. cf. Luc. d. sacr. 2 τοὺς δ' αὖ Αἰθίοπας καὶ μακαρίους καὶ τρισευδαίμονας εἴποι τις ἄν, εἴγε ἀπομνημονεύει τὴν χάριν αὐτοῖς ὁ Ζεύς, ἣν πρὸς αὐτὸν ἐπεδείξαντο δώδεκα ἑξῆς ἡμέρας ἑστιάσαντες, καὶ ταῦτα ἐπαγόμενον καὶ τοὺς ἄλλους θεούς. — cap. 9 ἦν δὲ οἰκόσιτοι ὦσι, νέκταρ καὶ ἀμβροσία τὸ δεῖπνον.[6] — Idem Junonem Jovi exprobrantem facit in quinto deorum dialogo, quod Ganymedem in caelum extulerit: c. 2: Τὸ δὲ Ἰδαῖον τουτὶ παιδίον ἁρπάσας ἀνέπτης, ὦ γενναιότατε θεῶν, καὶ συνοικεῖ ἡμῖν ἐπὶ κεφαλήν μοι ἐπαχθέν, οἰνοχοοῦν δὴ τῷ λόγῳ. Juventatis autem et Vulcani muneris eodem loco mentionem facit. Οὕτως ἠπόρεις οἰνοχόων, καὶ ἀπηγορεύκασιν ἄρα ἥ τε Ἥβη καὶ ὁ Ἥφαιστος διακονούμενοι; cf. c. 4 οὔκ, ἀλλὰ τὸν Ἥφαιστον ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχοεῖν ἡμῖν χωλεύοντα,

---

1) cf. Luc. dial. deor. 6. 3. 2) deor. conc. 1. 14. 19. Jup. tr. 6 sq. Men. 20.
3) cf. Philop. 6; gall. 3; (Min. Fel. 23. 7). 4) cf. 16. 5.
5) Cic. nat. d. III. 83 sq. Sen. ep. 87. 23.
6) cf. Jup. tr. 13; gall. 3.

ἐκ τῆς καμίνου ἥκοντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτεθειμένον.[1]) cf. Juv. 44 sq.

Turba deorum innumerabilis et satiricis et philosophis non raro irrisui est ut Senecae in libro, quem scripsit de superstitione. fr. 39: *Omnem istam ignobilem deorum turbam quam longo aevo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere.*[2])

Atlantem caelum vertice fulcientem (13. 48) Lucianus ludificatur Char. 4 Καὶ θαυμάζω, εἴ σοι ταῦτα τεράστια εἶναι δοκεῖ τὸν Ἄτλαντα δηλαδὴ εἰδότι, ὃς τὸν πόλον αὐτὸν εἷς ὢν φέρει ἀνέχων ἡμᾶς ἅπαντας (cf. Sen. ad Pol. 7. 1.) Neptuni regnum maritimum (v. 49) idem iocosius describit Jup. trag. 24. Ἐγὼ δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὑποβρύχιός εἰμι, ὡς ἴστε, καὶ ἐν βύθῳ πολιτεύομαι κατ' ἐμαυτόν, ἐς ὅσον ἐμοὶ δυνατὸν σῴζων τοὺς πλέοντας καὶ παραπέμπων τὰ πλοῖα καὶ τοὺς ἀνέμους καταμαλάττων. cf. *triste profundi imperium.* — Terrores Ditis imperii (v. 50) aequaliter Lucianus irritos facit de luct. 6: ὁ μὲν οὖν Πλούτων, ὡς ἐκεῖνοι ἔφασαν, καὶ ἡ Φερσεφόνη δυναστεύουσι καὶ τὴν τῶν ὅλων δεσποτείαν ἔχουσιν, ὑπηρετοῦσι δ' αὐτοῖς καὶ τὴν ἀρχὴν διαπράττουσιν ὄχλος πολὺς Ἐρινύες τε καὶ Ποιναὶ καὶ Φόβοι καὶ ὁ Ἑρμῆς, οὗτος μέν γε οὐκ ἀεὶ συμπαρών κ. τ. λ. . . . 8. Ἔνθα δή τί κακῶν οὐ πάσχουσι στρεβλούμενοί τε καὶ καόμενοι καὶ ὑπὸ γυπῶν ἐσθιόμενοι καὶ λίθους ἀνακυλίοντες κ. τ. λ. cf. Sen. ep. 24. 18. *Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi nec saxum humeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi. Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus cohaerentium.* cf. ep. 82. 16. Etiam noster fabulas illas ineptas ducit 2. 149.

Esse aliquos manes et subterranea regna
Cocytum et Stygio ranas in gurgite nigras
atque una transire vadum tot milia cumba
nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

cf. Luc. d. luct. 3 Περιρρεῖσθαι δὲ τὴν χώραν αὐτοῦ ποταμοῖς μεγάλοις τε καὶ φοβεροῖς κἀκ μόνων τῶν ὀνομάτων. Κωκυτοὶ γὰρ καὶ Πυριφλεγέθοντες καὶ τὰ τοιαῦτα κέκληνται. Τὸ δὲ μέγιστον ἡ Ἀχερουσία λίμνη πρόκειται πρώτη δεχομένη τοὺς ἀπαντῶντας, ἣν οὐκ ἔνι διαπλεῦσαι ἢ παρελθεῖν ἄνευ τοῦ πορθμέως κ. τ. λ. cf. cap. 9.[3]) — Charontis mortuorum portitoris facete mentionem facit 3. 265. sq.

Jam sedet in ripa taetrumque novicius horret
porthmea nec sperat cenosi gurgitis alvum
infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.

---

1) cf. deor. dial. 15. 2) cf. Sen. fr. 33; Cic. nat. deor. I. 84; Luc. Jup. tr. 7 sq. sacr. 5 c. a. pl. (Plin. II. 14—18).

3) cf. L. Char. 2. Cic. Tusc. I. 10; Plut. de superst. 4. Epict. III. 13. 15.

Comparare iuvat, quomodo Lucianus Menippum cum Charonte de mercede altercantem faciat: dial. mort. 22. Ch. Ἀπόδος, ὦ κατάρατε, τὰ πορθμεῖα. Men. Βόα, εἰ τοῦτό σοι, ὦ Χάρων, ἥδιον. Ch. Ἀπόδος, φημί, ἀνθ' ὧν σε διεπορθμεύσαμεν. Men. Οὐκ ἂν λάβοις παρὰ τοῦ μὴ ἔχοντος. Ch. Ἔστι δέ τις ὀβολὸν μὴ ἔχων; κ. τ. λ.[1])

Judices inferorum (v. 52) a Luciano non illepide memorantur d. luct. 7. Ὕπαρχοι δὲ καὶ σατράπαι καὶ δικασταὶ κάθηνται δύο, Μίνως τε καὶ Ῥαδαμάνθυς· οἱ Κρῆτες κ. τ. λ. cf. Iup. conf. 18.

Quae Homerus de Ulixis erroribus refert, tam monstruosa ei videntur, ut ea non magis credenda esse putet quam homines esse, qui carne humana vescantur. Quam comparationem absurdam esse recte monet Friedlaender in commentario p. 574. cf. Iuv. 15. 13—23. Sed nostra id minime interest. — Etiam Seneca affirmat ep. 79. 1 *Scyllam saxum esse et quidem non terribile navigantibus .... Charybdis an respondeat,* inquit, *fabulis, perscribi mihi desidero.* Mendacia Ulixis a Luciano perstringuntur ver. hist. 3: Ἀρχηγὸς δὲ αὐτοῖς (scil. τοῖς τεράστια καὶ μυθώδη συγγεγραφόσι) καὶ διδάσκαλος τῆς τοιαύτης βωμολοχίας ὁ τοῦ Ὁμήρου Ὀδυσσεύς, τοῖς περὶ τὸν Ἀλκίνουν διηγούμενος[2]) ἀνέμων τε δουλείαν[3]) καὶ μονοφθάλμους καὶ ὠμοφάγους καὶ ἀγρίους τινὰς ἀνθρώπους,[4]) ἔτι δὲ πολυκέφαλα ζῷα[5]) καὶ τὰς ὑπὸ φαρμάκων τῶν ἑταίρων μεταβολάς,[6]) οἷα πολλὰ ἐκεῖνος ὡς πρὸς ἰδιώτας ἀνθρώπους ἐτερατεύσατο τοὺς Φαίακας κ. τ. λ.[7]) —

Maxime autem Iuvenalis alienorum numinum caerimonias et sacra eorum increpat, quae iam Antisthenes et Diogenes Cynici illusisse dicuntur.[8]) Sed plurima philosophorum testimonia, quibus haec superstitio castigatur, per patres ecclesiasticos memoriae prodita sunt, ut Augustinus Senecae verba laudat, quibus magnae matris[9]) cultus turpissimus et crudelissimus condemnatur fr. 34: *Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat ... in regiae libidinis voluptatem castrati sunt quidam; sed nemo sibi, ne vir esset, iubente domino manus intulit: se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant* etc.[10]) Isti semiviri a nostro vehementissime sugillantur 6. 512 sq. 8. 176 sq. cf. 2. 111

---

1) cf. d. luct. 10; mort. dial. 11. 4. catapl. 1. 19.

2) cf. v. 14. 3) cf. v. 20. 4) cf. v. 18. 5) cf. v. 19 (Min. F. 20. 3). 6) cf. v. 22. 7) cf. v. 24. — Quamquam hic liber Lucianeus sententiis philosophis vacat [nisi forte fabulae obscurae a sophistis quibusdam Pythagoreis aut Platonicis in ridiculum detorquentur (conf. cap. 4)], haec verba propter similitudinem locorum contuli.

8) cf. Zeller, II. 1⁴ 330. (cf. Norden, annal. phil. suppl. 18 p. 337). Bionem Syriae deae sacra exagitavisse suspicatur Hense, Tel. rel. XLIX. — Demonactem mysteria recusavisse Ps. Luc. narrat c. 11. Philo ea spernit de sacrif. 12 sq. (II. 260 sq.)

9) Magna mater et Cybele illa aetate non iam distinguebantur cf. Roscher, myth. Lex. 1659 sq.

10) cf. Plut. de superst. 10 Luc. dial. deor. 12; Varr. s. M. fr. 119 sq. 149 sq. (Clem. Al. protr. 15 sq. Min. Fel. 22. 4; 24. 4. Lact. I 17. 5, 21. 16).

Hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi
libertas; et crine senex fanaticus albo
sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
gutturis exemplum conducendusque magister.[1])
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat iam
more supervacuam cultris abrumpere carnem?

Isidis,[2]) Bellonae,[3]) Bonae deae[4]) sacra cum stupris et comessationibus coniuncta eodem studio denotantur. —

Vides mysteriorum irrisione excepta nihil exstare in his versibus, quod non reperiatur in talibus dialogis Luciani, quales e fontibus Cynicis facile derivari possunt. Quod nequaquam mirabile est, cum illi ex Antisthenis temporibus falsas deorum opiniones refellere maxime sibi proponerent.[5]) Sed etiamsi Cynici non primi populares deos multos impugnaverint, tamen primi hanc viam inierunt ad tollendos turbulentos vulgi errores. Xenophanes[6]) enim Plato[7]) aliique poetarum fabulas mentitas esse consilio ac ratione demonstrabant, cum dicerent perfectissimam esse naturam deorum aut nihil humani habere. Quam ob rem Stoici[8]) atque etiam Antisthenes,[9]) qui fundamenta scholae Cynicorum iecit, eas ita interpretabantur, ut verbis alium sensum supponerent. Recentiores autem Cynici populares opiniones adminiculis popularibus usi labefactabant; sicut poetae comici ridicula reddebant studia deorum, qui in caelo terraque amabant et rixabantur, edebant et bibebant. Difficilibus conclusionibus aut doctis interpretationibus multitudini indoctae molestiam afferre nolebant. Tamen eos non modo risum movere, sed etiam has opiniones evertere voluisse mihi persuasum est.[10]) Velut Oenomaus sermonem, qui inscribitur π. γοητ. φωρ., tam efficaciter composuit, ut nemo dubitet, quin id re vera egerit, ne quisquam oracula consuleret aut deorum cultum servaret.

Itaque diatriba illa Cynica maxime idonea erat ad saturam, quod recte Romanorum poetae ac Lucianus cognoverunt. Diutius in hac re versatus sum, non quo Iuvenalem hic quoque a philosophis solis pendere commonstrarem, sed ut paucis verbis adumbrarem, ubinam primarii fontes saturarum indagandi essent. Nam aliter alii eas res aggressi sunt, quod facile cognoscas, si carmen Lucreti, qui eandem materiam tractat 3. 978 sq., cum versibus nostri compares. Alius est tenor in immolatione Iphigeniae describenda apud Luci-

---

1) cf. Epict. II. 20. 17.
2) cf. Iuv. 6. 524–541; 8. 29 (9. 22; 6. 489; 13. 92 sq. 12. 28 cf. Lucian. d. d. 3) Sen. fr. 35 (Clem. pr. 50. Min. Fel. 22. 1; 28. 9. Lact. I. 21. 20).
3) cf. 6. 512; 4. 124; (Sen. fr. 39; Min. Fel. 30. 5. Lact. I. 21. 16. V. 10. 15).
4) cf. 6. 314 sq. (2. 86 sq.) [Lact. I. 22. 11. III. 20. 4.]
5) cf. Cic. de nat. deor. I. 32.
6) ap. Eus. ev. 13. 13 = Diels, poet. phil. Xen. fr. 14 (p. 40).
7) Z. II. 1^4 928 sq.
8) cf. Zeller III. 1^3 321 sq.
9) cf. Z. II. 1^4 330.
10) cf. Fritzsche, Luc. op. III. 1. p. 4 sq.

anum[1]) et Iuvenalem,[2]) alius color apud Lucretium (1. 80 sq.). — Nostrum autem deos interdum sine ira et studio inducere[3]) nihil offendit, quoniam talis licentia etiam in philosophis non inaudita est;[4]) ut Lucretius in prooemio eius carminis, quo deorum metu ac superstitione populum liberare vult, Venerem summis laudibus elatam, ut sibi adsit in opere conficiendo, obsecrat.

XV.

De natura deorum.

Restat, ut quaeramus, quid ipse Juvenalis de natura deorum opinatus sit. Nemo in eo haerebit, quod promiscue dei et deorum facit mentionem, quod quam saepe philosophi fecerint, multis exemplis illustrare supervacuum est. Quodsi grato animo deos sacrificiis colit[5]), Epicteti praeceptum sequitur: man. 31. 5. Σπένδειν δὲ καὶ θύειν καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια ἑκάστοτε προσήκει καθαρῶς καὶ μὴ ἐπισεσυρμένως μηδὲ ἀμελῶς μηδὲ γλίσχρως μηδὲ ὑπὲρ δύναμιν.[6]) Seneca quoque etsi victimis opus esse negat, tamen bonos *etiam farre ac fitilla religiosos* se praestare probat[7]), inhonesta vota improbat.[8]) Eos qui deos muneribus corrumpi posse sperant, Maximus Tyrius aeque ac noster impugnat 11 (30). 3 . . . καί σου τὸ ἔπος τοῦτο ἀποδεξόμεθα, Στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί; cf. 13. 102

sed et exorabile numen
fortasse experiar, solet his ignoscere.

Huc pertinet is quoque locus: 6. 539

Illius lacrimae meditataque murmura praestant,
ut veniam culpae non abnuat, ansere magno
scilicet et tenui popano corruptus Osiris.

Eadem ratione Lucianus sacra ridet: sacr. 2 Οὕτως οὐδέν, ὡς ἔοικεν, ἀμισθὶ ποιοῦσιν, ὧν ποιοῦσιν, ἀλλὰ πωλοῦσι τοῖς ἀνθρώποις τἀγαθὰ κτλ.

Quid orandum esset, supra cognovimus.[9]) Deum etiam iis, qui non precentur, si digni sint, bona non negare Maximus exponit 11. 3. Seneca[10]): *Ita est*, inquit, *carissimos nos habuerunt di immortales habentque et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis*

---

1) de sacr. 2. 2) 12. 119 sq.
3) 3. 320; 6. 48; 10. 188; 11. 115; 12. 3 sq. 12. 89 a. pl.
4) cf. Zeller II. 1⁴ p. 931.
5) 12. 1–6, 83–92 (10. 355). 6) cf. Eus. ap Stob. 1. 103 (H. p. 54. 13).
7) ben. I. 6. 3 (cf. Plut. St. rep. 6). 8) ep. 10. 5 (cf. pag. 46 sq).
9) p. 56 sq. 10) ben. II. 29. 6.

proximos conlocaverunt; magna accepimus, maiora non cepimus. cf. Juv. 10. 346—350:

Carior est illis homo quam sibi.

Deorum beneficia ac providentiam multis et egregiis verbis Seneca praedicat, ut alia omittam, ben. IV. 4—9. cf. 9. 1 . . . . *plurima beneficia ac maxima in nos deus confert sine spe recipiendi.* etc. cf. ep. 95. 47 sq. *Nec vero universo generi hominum solum sed etiam singulis a dis immortalibus consuli et provideri* Stoica ratione Cicero demonstrat in secundo eius libri volumine, in quo agitur de natura deorum. Quorum erga homines amorem Charidemum celebrantem fingit Dio Chr. or. 30. 26 p. 337 Dind.: Ἔλεγε δὲ ὑμνῶν τόν τε Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς ὡς ἀγαθοί τε εἶεν καὶ φιλοῖεν ἡμᾶς, ἅτε δὴ ξυγγενεῖς ὄντας αὐτῶν. Hominum cognationem dei[1]), quam non modo posteriores Stoici[2]) ut Posidonius, sed etiam veteres ut Cleanthes[3]) docebant, Juvenalis praedicat 15. 143

. . . . venerabile soli
sortiti ingenium divinorumque capaces
— — — — — — — — — —
sensum a caelesti demissum traximus arce etc.[4])

cf. Sen. ad Helv. 11. 7; 6. 6—8. — § 7: *Ex illo coelesti spiritu* ⟨mens⟩ *descendit.*[5]) — Ratione homines et animalia inter se distingui Seneca disserit ep. 76. 9 sq. *In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur*[6]) eqs. cf. Juv. 15. 148 sq.

. . . indulsit communis conditor illis
tantum animas, nobis animum quoque etc.

Primam et generalem causam deum, omnium conditorem et rectorem[7]), Seneca dicit ep. 65. 12. Eos, qui *nullo credant mundum rectore moveri*, Juvenalis graviter incusat 13. 87. Quot philosophi deum praesidere mundo et universa vi sua temperare iterum atque iterum affirmaverint, longum est recensere. Cui sententiae ne id quidem repugnat, quod aliis locis eandem vim fato attribuit[8]), quandoquidem Stoici fatum et deum saepe non discernebant.[9])

Quam opinionem deorum maxime apud eos pervulgatam, qui Stoicam disciplinam et Academicam confundebant, Juvenalem philosopho cuidam debere perspicuum est. Ac de Seneca, quem ipse quoque laudat[10]), equidem maxime cogito, quamquam eadem de natura deorum etiam alios philosophos ut Epictetum[11]) sensisse non

1) cf. Zeller III. 1³ 200; de Arnim St. fragm. III. 333 sq.
2) cf. Z. III 1³ 746. 3) hymn. v. 4.
4) cf. Friedl. ad vv. 143—147.
5) cf. ep. 73. 16. 6) cf. Cic. leg. I. 7. 22, Epict. II. 9. 2 (cf. H. Wunder, Seneca quid de dis senserit p. 14). 7) cf. prov. 5. 8 ep. 119. 15.
8) cf. p. 59. 9) Sen. n. q. II. 45 (Zeller III. 1. 143 sq.).
10) 5. 109, 8. 212 (10. 16). 11) Zeller III. 1³ 743 sq.

ignoro. Cum Juvenale illi in eo quoque convenit, quod deos, etsi delicta non statim fulminibus persequantur[1]), tamen aliquando castigare quosdam et coercere et irrogare poenas censet.[2]) (cf. p. 74).

XVI.
De Juvenalis genere dicendi.

Cum totiens in saturis Juvenalis eaedem sententiae inveniantur atque in scriptis moralibus philosophorum, quaerere oportet, num etiam genere dicendi ab iis pendeat. — In vita Juvenalis eum *ad mediam fere aetatem* declamavisse *animi magis causa quam quod se scholae aut foro praepararet*, deinde saturas scribere coepisse traditum est. Sed haec verba, quorum de fide merito dubitari potest,[3]) tam ambigua sunt, ut ea prorsus neglegenda esse arbitrer. Nihil aliud certum est nisi — id quod viri doctissimi probaverunt[4]) — Juvenalem tropis et figuris ornare orationem solere. — Quod cum omnino poetarum esset ac plerique post Vergilium et Ovidium rhetorum praecepta non minus observarent[5]), sola elocutione Juvenalem rhetorem fuisse non demonstratur.

Itaque nihil est, quod saturas quintam, octavam, decimam, quartam decimam cum rhetoricis exercitationibus conferamus, quae θέσεις dicuntur.[6]) In clariore enim luce ea carmina aliaque ponuntur, si cum diatribis philosophis comparantur. Quamquam enim rhetores saepe eadem tractabant quae philosophi, ut quaerunt *sitne sapienti capessenda respublica, expetendane sit gloria, num fugienda paupertas*[7]),

---

1) de clem. I. 7. 2.
2) ep. 95. 50 [L. Schmidt, d. Eth. d. alten Gr. I. 69 sq.].
3) Weise, vind. Juven. p. 5. Si his verbis fidem habere licet, id saltem docent biographum declamationes illas et saturas postea conscriptas seiungere. Sed valde dolendum est, quod de genere declamandi nihil amplius dicitur. Ne id quidem certe patet ex his verbis, utrum tum demum rhetorem quendam audiverit quod per se non incredibile est, cum etiam M. Aurelius imperio suscepto ab Hermogene eloquentia institueretur (D. Cass. 71. 1, 2), an ipse in publico more sophistarum vel in circulo amicorum declamaverit. Martialis epigrammate, in quo Juvenalem facundum apellat, ea res obscura parum declaratur, cum etiam poetae facundi dicantur (Juv. 7. 35) et Juvenalem antequam saturas scripsit, alia carmina fecisse credibile sit. Sed cum iam pueri et adulescentes rhetorum scholam ut fundamentum omnis eruditionis frequentare solerent, veri similius videretur Juvenalem ad mediam fere aetatem ostentationis causa declamasse, quod filio aut alumno libertini locupletis non difficile erat. Utrum autem hae declamationes cum saturarum argumentis aliquid commune habuerint necne, meo iudicio disceptari non potest.
4) Kiaer, de sermone D. Junii Juven. Hauniae 1875. Streifinger, der Stil des Satir. Juven. Regensburg 1892; Strube, de rhetor. Juv. discipl. Brandenb. 1875; Weise, vind. Juv. cf. Friedlaender, praef.
5) Friedl. S. Gesch. III⁶ p. 396. (Sen. contr. II. 10. 8 sq.)
6) Friedl. praef. p. 52. 7) Cic. d. or. III. 112 sq.

tamen aliud illi spectabant. Nam rhetores censebant orationem ornandam esse locis communibus, *quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem aut querelam, contra quam dici nihil solet, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam . . . . de virtute enim*, inquit, *de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena similibusque de rebus in utramque partem dicendi animos et vim et artem habere debemus.*[1]) (cf. Quint. XII. 1—2.) Quam ob causam etiam rhetores talia interdum exercebant, ut iuvenes discerent, si opus esset, etiam de his rebus bene dicere. Atque etiam perfectus ille orator, quem Quintilianus et Cicero describunt, philosophiae studet non philosophiae ipsius causa, sed ideo, quod nemo nisi vir bonus dicendi peritus sit.[2]) Propterea quaestiones morales semper in progymnasmatis quae dicuntur a rhetoribus numerantur.[3]) Ab adulescentulis et praeceptoribus, qui eloquentiae causa his exercitationibus operam navabant, valde ii differunt, qui ob nullam aliam causam de moribus disputant nisi ad hominum vitia castiganda aut animos corrigendos.[4]) Quorum dissertationes etiam magis ab orationibus distinguuntur, quas rhetores ostentandi causa in publico declamabant. Semper eae declamationes aut ad causas et res publicas pertinebant aut ad hominum deorumque laudes.[5]) Moralia a rhetoribus per se non disputantur, quamquam occasione oblata in luxuriam et pravitatem hominum invehuntur.[6]) Fabiani verba, quae exstant in controv. Sen. II. 1. 10—13, etiam simillima sunt sermonibus Senecae filii et Juvenalis. Sed ille Fabianus philosophus erat, qui *eloquentiae studebat non eloquentiae causa.*[7])

Apparet igitur tamen conexum quendam rhetoribus intercedere cum philosophis. Nam cum illa aetate multa eruditione et doctrina ad philosophandum non opus esset et sana mens sufficeret, accidere poterat, ut multi scientiam philosophiae mediocrem soli rhetorum scholae deberent. Cumque, quisquis litteris se dedebat, arti oratoriae studuisset, fieri non potuit, quin etiam ii, qui ad philosophiam se conferebant, iisdem formis, quas hic didicerant, saepe uterentur. Et erant, qui pallio philosophorum vestiti rhetorum consuetudines adeo

---

1) Cic. de or. III. 106 sq. cf. v. Arnim, Dio. v. Pr. 107 sqq.

2) Deliberandum est cum Quintilianum tum Ciceronem ex philosophis fontibus hausisse et θέσεις illas semper a rhetoribus magis postulatas quam exercitatas esse. (Kroll, Stud. über Cic. Schrift de oratore. Rh. M. 58. 552 sq.) At philosophi ut Seneca et Dio moralia quasi θετικῶς tractabant.

3) cf. Rohde, gr. Rom. 295.².

4) cf. E. Weber, stud. Lips. X 168, 169. — Quam leviter rhetores has res aggressi sint, haec verba Quintiliani docent II. 4. 23: *et pro luxuria et pro amore dicimus, et leno interim parasitusque defenditur.*

5) Rohde, d. griech. Rom. 305 sq. — Etiam fabulae poetarum declamatorio generi dicendi materiam suppeditant (Sen. suas. 3.)

6) Norden, ant. Kunstprosa I 276.

7) Sen. contr. II pr. 5.

tenerent, ut etiam in utramque partem disputare non vererentur.[1]) Tamen etiam hi sophistae, qui, ut placerent multitudini, orationi magis operam dabant quam rebus, — quod Seneca et Epictetus acerbe improbant,[2]) — ipsi philosophi nuncupari volebant.

Rhetores igitur sententias philosophas vel morales orationi ornatus causa immiscebant. Contra philosophi eloquentiam coniungebant cum sapientia, ut magis animos audientium permoverent, id quod luculentissime Senecae opera demonstrant.[3]) Cuius sermones et epistulas saturis Romanis non raro similes esse Henricus Weber cognovit et suspicatus est ex consensu Horatii et Senecae etiam hunc multa debere Bioni eiusque genus dicendi imitari. Quod num recte sit iudicatum maxima dubitatio est.[4]) Nec magis Juvenalem a Bione ipso pendere demonstrari potest, quamquam eodem fere genere dicendi utitur, quod Weber Bioneum vocat. Neque enim dubium est, quin diatriba illa, cuius inventor Bio Borysthenita putatur, brevi a multis philosophis moralia disserentibus recepta et pro ingenio uniuscuiusque mutata sit.[5]) Eam autem dictionem, quae omnino diatribarum popularium philosophorum propria est, etiam a Juvenale adhibitam esse facile intellegemus, si contulerimus, quid Wendland de natura diatribae philosophicae explicaverit. Incipit primum caput dissertationis his verbis:

„Unter der philosophischen Diatribe verstehe ich die in zwanglosem, leichten Gesprächston gehaltene, abgegrenzte Behandlung eines einzelnen philosophischen, meist ethischen Satzes. Der erste Vertreter dieser besonderen Literaturgattung . . . . ist Bion der Borysthenite. Ein äusserst lebendiger, oft durch Anrede der Hörer oder durch Einführung fingierter Gegner oder Personifikationen dialogisch gestalteter Vortrag, eine vorwiegend polemische Tendenz[6]), ein überreicher Schmuck von Versen der Lieblingsdichter, ein ebenso reichlicher Gebrauch von Apophtegmen und Anekdoten, eine Vorliebe für witzige Pointen und Antithesen, für stets treffende, nicht immer gewählte Vergleiche, kurz ein Vortrag, in allem berechnet, die Menge zu packen und zu fesseln, dazu ein Stil, der durch Satzlösung und Bevorzugung der Parataxe scheinbar auf alle Mittel kunstvoller Rede verzichtet, und der doch hierin wie im Gebrauche

---

1) Max. Tyr. 21 (5.) 22; 29 (13.) 30; 39 (23.) 40. (cf. Hobein, de M. T. p. 6 sqq.)

2) Sen. ep. 75. 5. — Ep. III. 23.

3) Norden, ant. Kunstpr. I 306 sq. — cf. Wachsmuth, sillogr. Gr. 68 sq. v. Wilamowitz-Moellend. Antig. v Car. 307 E. Weber, stud. Lips. 198. 208 sq. v. Arnim, Dio v. Prusa 113. Praechter, Hier. d. St. p. 141 sq. Hirzel, d. Dialog II. 240. Zeller III 1^3 816. — (Cic. nat. deor. II. 148).

4) Hirzel, Dial. II. 24

5) Weber, de Sen. gen. dic. Bion. 54 sq. Wendland, Ph. etc. 4

6) In omnibus saturis adversarios quosdam impugnari manifesto apertum est. Itaque in eam rem non accuratius inquiram.

vulgärer Ausdrücke unter scheinbarer Kunstlosigkeit das höchste Raffinement und rhetorische Berechnung birgt, — das ungefähr sind die Kennzeichen der bioneischen Diatribe."

Contemplemur, quatenus haec apud nostrum inveniantur. — In saturis octava, decima, tertia decima, quarta decima singulas quaestiones morales absolvi apertum est. Etiam sextam saturam ab eiusmodi diatribis non abhorrere ac reliquas quoque refertas esse sententiis, quae ab omnibus philosophis popularibus iterum atque iterum repetuntur, supra explanavimus; ut in satura quarta et tertia[1]) Juvenalis adulationem[2]) castigat, in secunda[3]) et nona iuventutem effeminatam et libidinem naturae repugnantem, in undecima[4]) luxuriam cenarum, in duodecima testamentorum captationem (vv. 93—120).

Nec minus saturae quintae argumentum a philosophia alienum esse praeter sermonem quem Lucianus de mercede conductis conscripsit, eiusdem Saturnalia satis declarant.[5])

Sermocinatio Juvenalis mobilis est et arte carere videtur.[6]) Modo brevis est dictio modo abundans, ut in satura sexta mulierum vitia alia multis versibus depingit, alia quam brevissime stringit.[7]) In satura decima ea pars, in qua de forma agitur,[8]) dimidio fere minor est quam ea, in qua homines longam vitam optantes incusantur.[9]) Breviore oratione in eodem carmine ii vituperantur, qui eloquentia gloriam adipisci volunt,[10]) quam qui in bello honores quaerunt.[11]) Sed haec parvi momenti sunt.

Illud multo gravius, quod magna negligentia saepe interrumpit

---

1) vv. 85—108 (211—220).

2) cf. Dio. Chr. III. 16—24 p. 41 D.; LXXVIII 35 p. 282. (Ps. Phoc. 91 sq.)

3) Cynici solebant conviciis obruere quem videbant pilos evellentem aut comam ornantem aut in purpureis vestimentis ambulantem. Ep. III. 22. 11.

4) Maxime in hac satura vita rustica celebratur (cf. 14. 166—187) quam laudant Xenophon Oecon. 5, Cic. Cat. 51 sq. off. I 151, Muson. ap. St. 56. 19 (M. 337 sq.) Dio Chr. VII (Max. Tyr. 30 (14) cf. Hobein p. 67). — v. Praechter, Hier. d. St. 65; Wendland quaest. Mus. 26².

5) cf. capp. 17. 21. 22. 28. 32. — Lucianum Juvenali sua debere Gerckio (Goett. gel. Anz. 1896 p. 971 sq.) non concedo, cum Heinzio assentiar, qui Graecos auctores litteras Romanas contempsisse comprobavit d. Hor. B. im. 10—14. Amborum communis fons philosophia popularis et observatio vitae est. Forsitan Lucianus ipse ad cenam eiusmodi, qualis a nostro describitur, invitatus iniurias clientium videbat. Neque enim dubium est, quin Juvenalis non nimis res amplificaverit. Lucianum autem mores Romanos, ut laudator est Graecae urbanitatis, curiosius exagitare consentaneum est. — Inter exordium Nigrini et saturae nonae nullum conexum cernere possum. Si modo Lucianus auctorem quendam ante oculos habuit, nemo alius esse potest nisi Plato. Hirzel, Dial. II. 293².

6) Friedl. praef. 48 sq.

7) 63—113; 300—345; 511—594; 627—661. — 133—135; 242—245.

8) 289—345. 9) 188—288. 10) 114—132. 11) 133—187.

sententiarum nexum,[1]) ut verba, quae de tristi condicione provinciarum facit 8. 90—126, a ceteris hortationibus longe aberrant. In satura quarta decima excursus est de Judaeorum superstitione 96—108, qui hoc loco offensionem habet, cum a versu 86 poeta de divitiis disputare coeperit. Sin autem consideramus Juvenalem consilio sermonem vulgarem imitari, iam nihil offensionis versus praebent. Postquam enim patres a filiis profusione superari Cretonii exemplo monstravit, subito ei in mentem venit etiam superstitione patres a filiis adaequari neque dubitat hanc sententiam pronuntiare, priusquam de divitiis disputare pergit. In satura tertia decima versus 1—4 exspectamus post versum 175. Sed poeta repente digreditur a proposito et lamentatur depravationem hominum. Post versum quartum opinamur eum de mala conscientia acturum esse, sed recordatur, antequam animos scelestorum describat, sibi scelera ipsa enumeranda esse. Ad eum locum, quem inicit 15. 138—151, ut naturalem hominum societatem Aegyptiorum immanitati opponat, optime Dionis verba conveniunt. VII. 128. p. 137. Χρὴ οὖν τὰς ἐκτροπὰς τῶν λόγων, ἂν καὶ σφόδρα μακραὶ δοκῶσι, μὴ μέντοι περί γε φαύλων μηδὲ ἀναξίων [λόγων] μηδὲ οὐ προσηκόντων, μὴ δυσκόλως φέρειν, ὡς οὐκ αὐτὴν λιπόντος τὴν τῶν ὅλων ὑπόθεσιν τοῦ λέγοντος κ. τ. λ. Satura sexta sermo est nullo ordine, nullo consilio, sed tam vivido colore scriptus, ut credas Juvenalem amico praesenti praesentem exponere, quot quantisque vitiis feminae laborent. — Etiam illud, quod transitionibus parum operam dat,[2]) magis ad cotidianum sermonem et diatribarum stilum quam ad declamationes rhetoricas convenire videtur.[3])

Sed omnia haec dispositionis menda in Nigrinum quoque cadunt, quem dialogum praeclarum exemplum diatribae philosophicae esse mihi probatur.[4]) Hic partes orationis parum inter se conexae sunt. De vitiis et virtutibus in vicem disputatur: 13, 14. 14, 15 sq. 20, 21. 25, 26, 28, 29.[5]) Sine ullo ordine componuntur varia vitia, quae inter

---

1) H. Sydow, de Juven. arte compos. Halis 1890. Friedl. 49. Gercke Goett. gel. Anz. 1896 p. 981. — Id non semper inopia indolis poeticae effectum esse mihi videtur, cum Juvenalem materiam etiam recte disponere scivisse saturis septima et decima demonstretur. — Philosopho digressiones non vitandas esse Dio explicat VII. 128—132 p. 137.

2) Weise, vind. Juv. 10 sq. cf. Frdl. 51[3]. Interdum genere dicendi abrupto πάθος efficitur. (Kroll, Ilb. n. Jbb. 1903. p. 23[4].)

3) Ex vitiis dispositionis elucet consuetudinem rhetoricam a Juvenale nonnumquam penitus amissam esse. Rhetores enim orationis partes bene compositas esse volebant. *Oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est et sine rectore fluitet nec cohaereat sibi, multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec fine initio nec proposito casum potius quam consilium sequatur.* Quint. VII. pr. 3.

4) Aliud monumentum diatribae Cynicae est Oenomai liber π. γ. φ., ubi auctor singula oracula deorumque fraudes confuse et permixte perlustrat. (Transitio in fragm. 2 (Mullach) comparari potest cum Juv. 3. 114)

5) cf. Juv. VIII. 20; 30; 79; 87; 236.

se magnopere differunt. Velut in cap. 29 de circo et theatro agitur, c. 30 de funeribus et testamentis, c. 31 sq. de luxu cenationum, c. 34 de balneis.[1]) Mirum in modum inter c. 31 et c. 32 nonnulla verba inicit de perversa libidine virorum, quae cum antecedentibus non magis cohaerent quam digressiones pleraeque et interpositiones Juvenalis.[2]) — Ut noster saepe ad res ante tractatas revertitur,[3]) ita Nigrinus eadem absolvit c. 21, quae iam irrisit c. 13. Ex alio quoque exemplo videmus, quomodo in hac diatriba cohaerentia disiuncta sint; pedisequos enim auctor commemorat cap. 34 (13), nomenclatores c. 21. Nonnulla vitia solum nominantur,[4]) alia accurate pertractantur ut superbia patronorum ac parasitorum et clientium adulatio quas noster quoque fusius exagitat.[5])

Postremo ad sermonem dissolutum id spectare videtur, quod concinna sententiarum verborumque structura saepe desideratur[6]), quod Senecae quoque probatur.[7]) —

Vigorem orationis poeta auget multis interrogationibus et exclamationibus.[8]) Ad animos movendos hyperbola libenter utitur.[9]) Anaphorae et geminationis, quae „figurae commoti animi sunt et magnam vim habent in ornandis argumentis gravioribus et in amplificando", permulta in saturis exempla sunt.[10]) Praeterea asyndeton, quod maximi momenti ad orationem concitandam est et pertinet ad ἀγωνιστικὴν λέξιν, minus ad γραφικήν[11]), saepissime a nostro usurpatur.[12]) Ut hac figura brevitas dictionis, ita abundantia efficitur pleonasmo et usu synonymorum, quorum ingens numerus exstat apud Juvenalem.[13]) — Quantopere haec orationis lenocinia diatribarum auctores adamarint, multis exemplis congestis Henricus Weber monstravit. Et Seneca quoque ep. 75.4: *Non mehercules*, inquit, *ieiuna esse et arida volo, quae de rebus tam magnis dicentur. Neque enim philosophia ingenio renuntiat.*

---

1) cf. Juv. XIV. 15. 25. 44. 59. 86. 96. (Weise p. 10. 11).
2) 1. 121—131. 2. 102—109. 5. 137—145. 10. 306—309. 13. 199—210. 14. 96—108. cf. Schulz, quaest. Juv. Hermes 21 p. 179—192 (v. Frdl. ind. Parenth.)
3) Juv. 3. 7.8, 190—222. 6. 63—113, 379—397, 133—135, 627—661. 1. 94. 95, 135—141, 8. 39—44, 68—70, 13. 1—4, 192 sq. a. pl.
4) capp. 16. 17. — Juv. 13.24. 25.
5) 1. 97—126. 3. 86—108. 184—189. 212—220. 5.
6) Streifinger, d. Stil des Sat. Juv. 26.
7) ep. 115.2 *Oratio cultus animi est: si circumtonsa est et fucata et manu facta, ostendit illum quoque non esse sincerum et habere aliquid fracti. Non est ornamentum virile concinnitas.*
8) Strube, de rhet. J. discipl. 16 sq. Kiaer, de serm. Juv. 166—174.
9) Streifinger 11. Adicio locis a Str. congestis 10 123 sq. 11. 141. 12. 101 sq. cf. Weber, de Sen. dic. gen. B. 14, 38.
10) Weise, vind. Juv. cap. VI. Strube 14. Streifinger 5—10. cf. H. Weber 32, 53 sq.
11) Arist. Rh. III. 12. 12) Strube 13. cf. Weber 30, 52.
13) Weise cap. IV; Weber 31, 52. (Ribbeck, der echte und der unechte J. 42 sq.)

Ad dialogi formam saturas Juvenalis prope accedere neminem fugere potest.[1]) Sed verae altercationes non crebro occurrunt; id ea re effectum esse puto, quod Juvenalis saturae non tam imagines vitae cotidianae reddunt quam hortationes more philosophorum declamatas, in quibus nullus locus est colloquiis.[2]) „Saepe poeta homines loquentes quasi in scena inducit aut fictos ipse appellat, atque ita, ut plerumque nullo transitu parato ex tertia persona ad secundam transeat; interdum etiam vera colloquia fingit, cum aut ipse cum aliquo interlocutore sermonem conferat aut alios inter se loquentes faciat.“[3]) Tamquam praesentes sint, recta oratione non modo deos et suae aetatis homines alloquitur, sed etiam diu mortuos ut Catilinam, Brutum, Epicurum.[4]) Quid quod res inanimae ut lex Julia ac nummi tamquam personae non semel inducuntur et nonnunquam etiam compellautur.[5]) Exemplum verae prosopopoeiae exstat 9. 63: *Sed pensio clamat: posce.* Persaepe exiguis, sed vividis formulis, eiusmodi, quales apud Senecam sescenties exstant[6]), allocutio exprimitur: *aspice, respice, accipe, adde, i nunc (ite).*[7]) Nec desunt convicia, ut *miser! infelix!*[8]) *o vanissime!* 14. 211; *senior bulla dignissime!* 13. 33; *i demens!* 10. 166; *rusticus exspectas!* 14. 25.[9])

---

1) Comparandum est Senecae genus dicendi. cf. Hirzel, Dial. II 25 sq.

2) Justa colloquia saturae propria esse negari nequit. Sed noster morales diatribas cum poesi satirica confundit. Si hoc reputamus, conicere non cogimur ad Juvenalem, ubi sermone vulgari non utitur, unam artem rhetoricam multum valuisse, quod Hirzel iudicat Dial. II. 63. Ab eodem in eo dissentio, quod de forma saturarum epistolica dicit (p. 62), quae saepe nulla alia re nisi allocutione continetur. (Sydow, de Juv. arte comp. 8 sq.) Aetas enim poetae ad eam rem nihil valebat, cum ea forma etiam in primo libro iuveniatur. Commodius ita carmina dedicari poterant. Accedit, ut epistolarum forma maxime idonea ad mores castigandos esset, quod Senecae epistolae docent, et oratio in iis magis soluta esset. (Sen. ep. 75. 1. Radermacher, Demetr. de eloc. p. 109.)

3) Weise cap. V. Strube 17. Streifinger 26 (Bergmueller quaest. Juv. acta seminarii philolog. Erlang. IV. p. 437 § 10). cf. Weber 23 sq. 45 sq.

4) Weise 40 sq. Streif. 26. Strube 17. Velim conferas, quae Hirzel de Epicteti genere dicendi disserit. Dial. II. 248.

5) Weise 41. Streif. 26. Strube 18. cf. H. Weber 22, 44; Norden, ann. phil. suppl. 18 p. 344 sq. Hirzel, Dial. I 372. Addo: 1. 95: Sportula tamquam femina primo limine ‚sedet‘. 8. 138:

Incipit ipsorum contra te stare parentum
nobilitas claramque facem praeferre pudendis.

10. 159: *o gloria!*

6) O. Rauschning, de latinitate Senecae, Regim. 1876 p. 10.

7) Weise 12 sq. Bergmueller (act. sem. Erl.) 423 cf. Weber 24, 46. — Licet haec exempla adiciam: *asp.* 10. 193. 12. 61. 14. 275. *resp.* 5. 60. 8. 91. *acc.* 3. 295 (4. 65). 7. 36. (165.) 243 (14. 191). 15. 31. *i nunc.*: 6. 306. 10. 310. 12. 57. *ite*: 3. 66. (12. 83). *nonne vides?* 3. 249, *ergo vides!* 12. 126. *vis ne?* 10. 90, *vis certe!* 10. 94. *nonne putas?* 6. 34 *(quid putas?* 13. 5), *tu credis!* 6. 275 *(forsitan credas* 5. 156). *exspectes* 1. 14, *nil tale exsp.* 14. 22, *forsitan exsp.* 11. 162, *an exspectas?* 6. 75, *scil. exsp.* 6. 239, cf. 14. 25, *dic!* 6. 29 (281). 7. 106. 8. 56. 9. 54. 10. 338. (11. 33.) 13. 33. 14. 211. *dicite vos!* 6. 265.

8) 13. 112. 14. 64 (7. 27. 117. 6. 597).

9) cf. H. Weber 24, 47.

Deinde saepe „reperimus Juvenalem in saturis scribendis veterum scriptorum, praecipue poetarum memorem fuisse aut versus eorum paulum mutatos in saturas suas recepisse, imprimis Horatii[1]), Vergilii[2]), Ovidii, Homeri. Quem poetae morem non omnium poetarum Juvenalis aetate communem fuisse“ non neglegendum est.[3]) Nam hos versus ea mente inseruisse videtur, ut imitaretur popularium philosophorum genus dicendi[4]), qui magnam persuadendi vim poetarum versibus insertis tribuebant. Memorabile est, quotiens Seneca Vergilii carmina laudaverit, quod facile ex indice editionis a F. Haase factae cognosci potest. Demonax καὶ ποιηταῖς σύντροφος ἐγένετο καὶ τῶν πλείστων ἐμέμνητο cap. 4.

Plerumque noster Cynicorum consuetudine eos versus in ridiculum deflectit.[5]) Artem autem parodicam, qua Bion et Menippus imprimis praestabant, etiam Juvenalis temporibus nondum evanuisse Luciani sermonibus optime confirmatur.[6]) Scurrilem imitationem epicae dictionis etiam multae nominum circumscriptiones sapiunt, quas Friedlaender congessit ad vv. 1. 25, 5. 45.[7])

Comparationes e carminibus Homericis repetitae aut personae heroicis nominibus significatae non raro occurrunt.[8]) Interdum personis Homericis Juvenalis utitur ad virtutes et vitia illustranda. Quam ethicam Homeri interpretationem praecipue apud Cynicos Stoicosque vulgatam[9]) a Plutarcho maxime commendatam esse quis est, qui nesciat? Achillis obsequium in Chironem magistrum laudatur 7. 210 sq. Ut Aiax et Achilles patres virtute superaverint, ita adulescentes male educatos deteriores patribus fieri dicit 14. 213. Longam vitam cum miseria coniunctam esse Pelei, Nestoris, Priami exemplo ostenditur 10. 246—271. Arrogantiam sic reprehendit 11. 30.

neque enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se traducebat Ulixes.

---

1) P. Schwartz, de Juven. Horatii imit. Halis 1882.

2) Gehlen, de Juv. Vergilii imit. Erl. 1896.

3) Strube 1 sq. Weise cap. 3.

4) Weber 26, 49. v. Wilamowitz, Antig. v. Kar. 70. Hirzel, d. Dialog I. 381. Paul. Wiss. V. 1. 860 sq. 866. 20.

5) Satis est pauca exempla eligere: Nigr. 17. 18. Pisc. 1—3. 5. 41. 42. de merc. cond. 11. 16. 20. Jup. tr. 1. 6. 9. 19. 40. 44. 45.

6) cf. Wachsmuth, sillogr. Gr. 69, 75 sq. — Eligo locos nonnullos: 2. 99, Aen. 3. 286. 4. 34, Aen. 9. 525. 4. 36, ecl. 8. 63. 4. 41, Aen. 10. 819. 5. 138, Aen. 4. 328. 9. 102, ecl. 2. 69. — 6. 177, Aen. 3. 390. 8. 45 (Streif. 17). cf. Gehlen, de Juv. Verg. im. 34 sq. — 2. 128, Od. 5. 81. 3. 279 sq. Il. 24. 10 (Sen. tr. an. 2. 11). 8. 44, Il. 18. 414. 9. 37, Od. 16. 294. 15. 65, Il. 7. 263 sq. — Satura quarta parodia Statii carminis de bello Germanico conscripti esse putatur. Buecheler Rh. M. 39. p. 283.

7) Circumlocutiones maxime docti poetae Alexandrini adamabant eorumque sectatores, poetae Romani. (Norden, comment. ad Verg. Aen. VI. 398 p. 235.) Nescio, an formula epica in ridiculum detorqueatur 4. 107 *Montani quoque venter adest.* (βίην Διομήδεος E 781.)

8) 1. 61, 162. 2. 56. 3. 280. 4. 65. 5. 59, 151. 6. 503, 660. 10. 84, 318. 12. 119. 13. 112. 14. 20. 16. 26 (E. Weber, st. L. X. 185).

9) Zeller II. 1[4]. 330. III 1[3]. 323. cf. H. Weber 28. 50. (Hor. ep. I. 2).

cf. Stob. 4. 118 (H. 250. 14) Σωκράτους· Οὔτε τὰ τοῦ Ἀχιλλέως ὅπλα τῷ Θερσίτῃ οὔτε τὰ τῆς τύχης ἀγαθὰ τῷ ἄφρονι ἁρμόττει. Epict. III. 22. 8. Luc. adv. ind. 7. Iidem opponuntur 8. 269 sq.

Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas
quam te Thersitae similem producat Achilles.[1])

Eadem ratione fabulae tragicorum ethice explicantur, quod quam sollemne apud philosophos fuerit, ex Ciceronis et Plutarchi scriptis perfacile intellegitur. Quanta pericula adulescentibus formosis immineant, Bellerophontis et Hippolyti exemplo monstratur 10. 324 sq.

Sed casto quid forma nocet? Quid profuit immo
Hippolyto grave propositum, quid Bellerophonti?
Erubuit nempe haec ceu fastidita repulsa,
nec Stheneboea minus quam Cressa excanduit, et se
concussere ambae. Mulier saevissima tunc est,
cum stimulos odio pudor admovet. cf. Luc. de cal. 26.

Mulieres suos liberos de medio tollentes Medeae et Procnae facinora aemulari acerbe ait 6. 643

Credamus tragicis, quidquid de Colchide torva
dicitur et Progne, nil contra conor. Et illae
grandia monstra suis audebant temporibus, sed
non propter nummos. Minor admiratio summis
debetur monstris.

Quomodo superbia mulierum puniatur, narratione Niobae interitus ostenditur. 6. 172—177.[2]) Feminae, quae maritos necare non verentur, cum Eriphyla et Clytaemestra comparantur 6. 655 sq. Orestis matricidium cum Neronis flagitiis non conferendum esse exponitur 8. 215—220. *Illa nefandi Taurica sacri inventrix* mitior est barbaris Aegyptiis 15. 116 sq.

Omnia exemplorum genera, quae in diatribis popularium philosophorum maxime usitata erant,[3]) apud Juvenalem quoque frequentissima sunt. Ac primum quidem afferam decimae saturae et octavae nonnulla exempla ex memoria Romanorum et Graecorum sumpta, quae fugienda aut aemulanda iudicat.[4]) Hic potissimum notissima quaeque eligit;[5]) ut gloriae Hannibalis,

1) cf. p. 23.
2) Arist. eth. N. VII. 1148.ᵃ 33.
3) cf. p. 8. 69 sq. Weber 24—26; 47—49.
4) In Varronis libris λογιστορικῶν sententiae philosophae exemplis historicis illuminantur. (Teuffel, Gesch. d. r. L.⁵. § 166. 2. Schanz I. § 185.)
5) Ita factum est, ut defuncti persaepe impugnarentur et homines diversorum temporum aeque castigarentur. Epictetus quoque nomina Neronis, Sardanapalli, Agamemnonis coniungit, ut reges non beatos esse declaret. III. 22. 30. (cf. 27). Philosophi et rhetores in hac re consentiunt. (Hirzel,

Alexandri, Xerxis obtrectat 10. 147—67, 168—72, 173—87, Ciceronis et Demosthenis eloquentiae 114—132. Etiam summam maximamque potentiam corruere Seiani, Crassi, Pompei, Caesaris exemplis discitur: 58—107, 108—111. Longa vita homines non feliciores fieri Croesus[1]) Mithradates, Marius, Pompeius docent 273—86. Quam periculosa pulchritudo corporis sit, e Lucretiae et Virginiae sorte intellegitur 293 sq. Etiam pueros et iuvenes formosos ab insidiis non tutos esse Neronis et Messalinae salacitate probatur 308, 331—338. Alia Neronis scelera ac vitia castigantur 8. 212—23. Ut perspiciatur, quantopere provinciae diripiantur, Capito, Numitor, Antonius, Dolabella, Verres argumento afferuntur 93, 105 sq. Quemadmodum nobiles a virtute maiorum degeneraverint, videmus ex studiis Laterani,[2]) Damasippi,[3]) Lentuli,[4]) Gracchi.[5]) Neronis improbitati Senecae virtutes meritaque Juvenalis opponit 212, Catilinae Cethegique Marii et Ciceronis. Magnis laudibus virtutem effert Deciorum 254, Fabiorum (11.90), Servii Tullii regis ancilla nati 259, Mucii Scaevolae, Horatii Coclitis 264, Fabricii (11.91), aliorumque luminum rei publicae.[6])

Saepe diatribarum auctores studio sententias morales quam accuratissime explicandi adducti singulare quoddam alicuius vitii exemplar fingunt ad rem collustrandam.[7]) Hanc consuetudinem noster totiens sequitur, ut satis sit haec pauca eligere. — Mater introducitur deos orans, ut liberi formositate praestent, 10. 289 sq. Postquam in universum exposuit 10. 298 sqq. parentibus de filio corpore praecellente semper timendum esse, statim adulescentem fingit, qui quamvis bene educatus ab improbis cogitur turpia officia praestare et semel corruptus per totam urbem cum matronis adulterat, dum iustam poenam pendit. Ut demonstret insaniae feminarum interdum non resistendum esse, facit aliquem a Messalina cogi ipsam in matrimonium ducere 10. 330, 339—345. Ut autem sciamus, quid tali homini instet, paucis verbis narrat, quomodo Silio nupserit 331—38. Juvenem nocturnis conviviis ludoque talario indulgentem describit, ut appareat, quantopere nobilitas tunc maiorum oblita sit 8. 10—12. Legimus 8. 140, quo quis maior ac nobilior sit, eo maiora vitia eius videri, quod his exemplis satius discitur.

v. 142 *Quo mihi te solitum falsas signare tabellas*
in templis, quae fecit avus, statuamque parentis
ante triumphalem? Quo, si nocturnus adulter
tempora Santonico velas adoperta cucullo?

Dial. II. 63). — Nonnulla exempla Juvenalis Valerio Maximo debere videtur. (Gercke, Goett. gel. Anz. 1896. p. 970). Qua re non effici, ut in exemplis usurpandis unum rhetorum morem sequatur, nemo negabit. Neque enim dubium est, quin Cicero quoque et Plutarchus similibus libris usi sint, in quibus dicta et facta virorum illustrium erant collecta.

1) cf. Sen. tr. an. 11. 12. 2) 146—178. 3) 8. 185.
4) 8. 187 sq. 5) 8. 201—10. 2. 143—8. 6) cf. p. 69.
7) H. Weber 25.

Populum, qui *sedet et spectat triscurria patriciorum* (8. 190) castigat, cum fingat eos ridere *planipedes Fabios* aut *Mamercorum alapas.* 8. 105 sq. non solum rogat, quis tam demens sit, quin mori malit quam in scenam prodire, sed pergit interrogare v. 196:

Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?

Prisca nobilitate ortos crebro inferiores esse industriis viris humili loco natis demonstrat poeta, cum tres homines de plebe quasi in conspectu nostro ponat 8. 46

‚Ast ego Cecropides.‘ Vivas et originis huius
gaudia longa feras. Tamen ima plebe Quiritem
facundum invenies, solet hic defendere causas
nobilis indocti; veniet de plebe togata,
qui iuris nudos et legum aenigmata solvat;
hic petet Euphraten iuvenis domitique Batavi
custodes aquilas armis industrius. At tu
nil nisi Cecropides.

Ad hoc genus fictorum exemplorum haud paucae digressiones referendae sunt.[1])

„Exemplificatio illa, per quam quae in universum antea dicta sunt, per complura exempla illustrantur amplificanturque“, in omnibus saturis exstat.[2]) Cuius generis dicendi proprietas optime perspicitur satura quarta decima, qua parentes monentur, ne malis moribus liberorum animos corrumpant. Quod magno numero exemplorum explicatur, cum poeta exponat, quomodo pueri discant a parentibus aleis ludere 4, *a magna non degenerare culina* 6—14, saevire in servos 15—24, adulterare 25—30, domibus aedificandis minuere rem familiarem 86—95, cultumque superstitiosum sectari 96—106. Pueros autem a patribus incitari, ut qualibet ratione divitias quaerant, explanat, cum quaestum causidicorum 191, centurionum 193, negotiatorum 200 perscrutatur. Postremo etiam maximis opibus avaros non contentos esse non sine amplificatione monstrat, cum dicit ne equitum quidem aut Croesi aut Narcissi divitias iis sufficere 322—331. In septima satura, ubi litteras iacere conqueritur describenda miseria poetarum, rerum scriptorum, causidicorum, praeceptorum eloquentiae, grammaticorum, ineptiarum rhetorum mentionem facit enumerans nonnulla themata maxime vulgaria 168—170.[3])

---

1) Addo nonnulla exempla sive personarum sive rerum fictarum 1.97—126; 3.184—9, 203—11, 212—222, 278—301; 5.15—23; 6.63—102, 320—23, 352—9; 7.36—44, 150—153; 9.35—37, 39—42; 11.165—75; 12.99—110, 111—130; 13.147—156, 72—74; 14.4—30, 305—308; 15.134—140; 16.29 a. pl. 2) Weber 25, 48.

3) cf. 2.47—62; 1.1—13; 3.235—66; 4.140—143; 5.166—168; 6.150—156; 8.172—6; 9.1—20; 10.8—14, 18—22, 90—97, 99—102; 11.171—8; 12.37—47; 13.211—35; 15.110—112; 16.36—47. (Sydow, de Juv. arte compos. 23.)

Venio ad eam speciem exemplificationis, qua una notio vel sententia in complura exempla dissolvitur[1]), qua re dilucide rerum imago ad animum refertur atque etiam abstracta quasi oculis cernuntur. Democrito magistratus Romanos ridiculis insignibus ornatos ignotos fuisse ita Juvenalis exprimit 10. 34:

. . *quamquam non essent urbibus illis*
praetextae, trabeae, fasces lectica, tribunal.[2])

Pompam praetoris ludis circensibus praesidentis pari diligentia describit 10. 36—45. Imperium potentiamque magnopere cupientem interrogat 10. 90:

Visne salutari sicut Seianus, habere
tandundem atque illi summas donare curules
illum exercitibus praeponere, tutor haberi
principis? . . .
. . . . Vis certe pila cohortes
egregios equites et castra domestica, quidni
haec cupias?

Pro gloria militari singula tropaea armaque nominat 10. 133:

Bellorum exuviae, truncis adfixa tropaeis
lorica et fracta de casside buccula pendens
et curtum temone iugum victaeque triremis
aplustre et summo tristis captivus in arcu
humanis maiora bonis creduntur.

Juvenum discrimina breviter adumbrat 10. 196: *pulchrior ille*
hoc atque ille alio, multum hic robustior illo.

Senum fragilitatem illustrat varia corporis mentisque mala perlustrans 198—218, 227—45. Clarissimas gentes in principio saturae octavae enumerat, ut hortetur aequales, ne memoriae ac nobilitati maiorum ignominiae sint. Nobilitatem probitate morum servari his verbis iubet 8. 21:

Paulus vel Cossus vel Drusus moribus esto etc.

Pro armis dicit *scutum gladiumque . . . et iaculam et galeam* 8. 123, pro omnibus divitiis

hortos, praetoria, mensas,
argentum vetus et stantem extra poculum caprum. 1. 75.

Philosophiae loco vel universorum philosophorum nominat Chrysippum, Thaletem, Socratem 13. 184. Effeminatos homines, qui muli-

---

1) Weber 26.

2) cf. Sen. const. 12. 2: *Quod ille* ⟨pueri⟩ *inter ipsos magistratus gerunt et praetextam fascesque ac tribunal imitantur, hi eadem in campo foroque et in curia serio ludunt.* (Plut. praec. reip. ger. 20. 1.)

ebrem vestitum habitumque sectantur, atrociter obiurgat, quod redimiculis et monilibus se ornent, supercilia producant et fucent, reticula adhibeant ad capilla comenda, ‚scutulatas aut galbinas rasas vestes' induant, vitreis poculis et speculis utantur. 2. 84 sq.[1])

Sententiarum et luminum orationis, quibus abundant saturae Juvenalis, magnam copiam congessit Streifinger p. 43—48.[2]) Nec nulli versus redolent etiam proverbiorum sapientiam, quibus populares philosophi perlubenter uti solent.[3]) cf. Otto, Die Sprichw. d. Römer, ind. p. 418. —

Contentiones (ἀντίθετα), quae maxime orationis splendorem efficiunt, percrebrae apud nostrum sunt[4]) nec deest ea figura, quae vocatur oxymoron.[5]) Deinde saepenumero perspicuitas dictionis comparationibus augetur[6]), de quibus quid Seneca iudicaverit legimus ep. 59. 6: *Illi, qui simpliciter et demonstrandae rei causa eloquebantur, parabolis referti sunt, quas existimo necessarias, non ex eadem causa qua poetis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint et ut discentem et audientem in rem praesentem adducant.* Noster saepius homines obtrectationis et irrisionis causa cum bestiis aut rebus sensu carentibus confert[7]), quas similitudines magnopere philosophis in deliciis fuisse E. Weber et Norden probaverunt.[8])

Diatribarum genus dicendi, quamvis affine sit sermoni familiari, a rhetorica disciplina non alienum esse praeter eas figuras, quas memoravimus, etiam translationes[9]), denominationes[10]), intellectiones[11]), gradationes[12]) persaepe adhibitae demonstrant.[13])

Cotidianae autem locutionis sunt temporum, modorum, personarum immutatio, qua Juvenalis magna negligentia utitur[14]), ac sententiarum coordinatio, qua maior orationis simplicitas et

---

1) Alia exempla Streifinger congessit p. 20—24. 2) Strube p. 18.
3) Weber 12, 37, cf. Friedl. ind. ‚Sprichwort'.
4) Streifinger 13—14; Strube 18. 5) Streif. 10 cf. Weber 20, 43.
6) Streif. 14—20 cf. E. Weber, stud. Lips. X 173 sq. Exemplis a Str. congestis adicio 8. 32-38, 56—67, 215—221; 13. 26, 65, 141; 15. 13 sq.; 2. 79; 4. 147. — Nescio, utrum accumulatio comparationum 10. 220 sq. rhetorica ineptia an ridicula imitatio epicae dicendi rationis sit. (p. 94.)
7) 3. 90; 6. 177, 270, 431, 441, 649; 8. 15, 53, 56; 10. 268; 15. 159.
8) E. Weber, stud. Lips. 175 sq., 182. Norden, ann. ph. suppl. 18 p. 319³. — Frequentissimae erant comparationes, quae ad artem ludicram referuntur (Tel. ed H. ind. ὑποκρ. Sen. ed. H. ind. pers. v. Wilamowitz, Herm. XXI 626); quarum nulla fere vestigia apud nostrum exstant: Humana negotia ludi sunt, qui magis oblectant quam publici. 14. 256 sq. (264). Graeca *natio comoeda est*, 3. 100. (H. Jattkowski, de sermone in Persii et Juvenalis satiris figurato. p. 17, Allenstein 1886.)
9) Kiaer 218 sq. Jattkowski.
10) Streif. 35—39. Ribbeck, d. echte u. d. unechte Juv. 58 sq.
11) Streif. 39—42.
12) Strube 18. Bergmueller, quaest. Juv. (acta sem. Erl.) 406 sq.
13) cf. H. Weber, 19. 42 sq. E. Weber, stud. Lips. X. 177 (Sen. ep. 59. 6).
14) Weise cap. XI. Kiaer 194—213. Friedl. praef. 56.

planitas efficitur. At interdum paratacticus ordo sententiarum, quem quidem omnes poetae ex Vergilii temporibus periodis longioribus anteponunt[1]), dicendi rationem concitatam reddit. Cum secundum regulas grammaticas vel logicas subordinatio exspectari possit, noster illum tenet, ut pauca afferam exempla, 1. 74, 13. 91, 10. 147, 154. Porro collocatio verborum, quae a priorum poetarum licentia non nihil discedit, vulgarem sermonem sapit.[2]) Omnino Juvenalis, ut decet satiricum, orationem perraro ad sublime poetarum genus dicendi accommodat, ut suspicio oriatur eum morem philosophorum populariter declamantium de industria imitatum esse, nisi forte nescio quas diatribas exscripsit et interdum auctori ad verbum se applicavit. Quod eo probabilius videtur, quo magis computamus convicia, quae noster facit de morum corruptela, minus in Traiani et Hadriani tempora quam in priorem aetatem quadrare.[3])

Reliquum est, ut copiam verborum perquiramus, quam apud poetam satiricum maxime cotidianam vitam redolere non miramur. In philosophis autem diatribis vocabula forma vulgari et significatione non minus usitata esse Henricus Weber explicavit 8—12, 34 sqq. Ac primum popularis color dictionis deminutivis cognoscitur, quibus saturae Juvenalis redundant.[4]) Praeterea e sermone cotidiano Graecae voces sumptae sunt, quas A. Thiel collegit.[5]) Deinde vulgariter sunt formata nomina multa desinentia in -osus, -mentum, -arius vel orius, -bilis, -eus -bundus[6]), verba intensiva et incohativa et transitiva desinentia in -are, quae detorta sunt a nominibus,[7]) participia, quae, cum verba desiderentur, adiectivorum vices sustinent.

Sed cum lingua Latina Juvenalis aetate alia esset atque Ciceronis temporibus et eadem aut similia vocabula a Vergilio aliisque poetis usurparentur, potius quam ex forma verborum sermo vulgaris e significatione cognoscitur. Ingens apud Juvenalem est numerus nominum, quae pertinent ad varia hominum studia et negotia, ad luxum vestitus et supellectilis, ad cenandum et helluandum. Nec fieri potuit, quin haec omnia poeta suo nomine proferret nec sordida vocabula reformidaret.[8]) Nam

quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas
gaudia discursus, nostri farrago libelli est. 1. 85.

---

1) Kroll, Ilb. neue Jahrb. XI. 23.
2) Kiaer 18—60 (48—60, 19, 26 sq.!).
3) Nimirum id tantum in personarum nomina cadit, cum imperio principum pristina morum integritas non restitui posset. (A. Th. Christ, über die Art u. Tendenz der Juven. Personenkritik. Landskron 1881).
4) cf. Frdl. comment. ad 1. 11; 3. 149.
5) Juvenalis graecissans. Vratisl. 1901. cf. Kiaer 277 sq. Rauschning, de Senecae latinitate 45.
6) cf. Paucker, Vorarbeiten zur latein. Sprachgesch., Berl. 1884. I 27 sq. II.
7) cf. Paucker II 48 sqq.
8) cf. H. Weber 9 sq. (Wachsmuth, sillogr. Gr. 76).

Quo factum est, ut in saturis Juvenalis piscatores, fabros, sutores, pictores, augures, auspices, haruspices, pontifices, sufflamines, medicos, rhetores, causidicos, pragmaticos, historicos, geometras non minus cognosceremus quam magos sagas, cerdones, mandras, muliones, mangones, aquarios. In macellum ducimur et in tabernas, popinas, culinas, fornices, lupanaria, ubi versantur caupones, nebulones, ganeones, nautae, fures, fugitivi, lenones, lenae, scorta, paelices; videmus feminas spadones, eunuchos, gallos amantes, viros comitatos a pathicis, cinaedis, pusionibus. In theatro et circo, in scena et orchestra et arena conspicimus histriones, comoedos, tragoedos, mimos, planipedes, citharoedos, psaltrias, choraulas, tibicines, schoenobatas, petauristas, athletas, lanistas, gladiatores, murmillones. Audimus cymbala, tympana, sistra, pelves, tintinnabula, bucinas, tubas, citharam; singula gladiatorum et militum arma commemorantur: fuscina, tridens, cassis, galea, galerus, ocreae, *balteus et manicae et cristae crurisque sinistri dimidium tegimen.* Thermas et balneola peragramus ac videmus tonsoris cristam et mucronem et aliptae et cosmetae ceromata, opobalsama, amoma.

Animos ac vestimenta hominum eadem contentione increpat. Maxima acerbitate respuit Tyrias lacernas, purpura, amethystina, conchylia Coa, laenas coccinas, galbinas, multicias, panniculos bombycinos. Praeterea nominantur praetexta, palla, paenula, abolla, chlamys. Utque Hernicum rusticum laudat 14. 185, *quem non pudet alto per glaciem perone tegi*, sic ridet redimicula, segmenta, monilia. Tum ii castigantur, quos gemmae delectant adamans, iaspis, berullus, sardonyx, *loculis quae custoditur eburnis.* 12. 139.

Parcum victum maiorum servari iubet, *qui ponebant* . . *Tusco farrata catinos* ollasque grandes pultibus fumantes, holuscula, lardum. Poetae denique placent siliquae, asparagus, uvae, pira, mala, ova. Aspernatur eorum, *quibus in solo vivendi causa palato est* (11. 11), obsonia, boletos, tubera, panem molli siligine fictum, placentas, mustaceum, popanum, adipata. Clientes edunt apud sordidum patronum caulem, fungos, *solidae iam mucida frusta farinae.* Causidici pro mercede accipiunt siccum petasunculum aut bulbos. Ministri apponunt cibos ac potiones lancibus, urnis, alveolis, patinis, patellis, phialis, cyathis, crateribus, crystallinis murrinisque poculis. Etiam alia instrumenta ad convivia pertinentia commemorantur: bascaulae, mappae, *manubria cultellorum ossea.* Pleraque eorum verborum homo disciplina rhetorica penitus imbutus sine dubio numquam eloqui ausus esset, quippe cui ne acetum quidem aut spongias nominare liceret.[1])

Maxime autem vilitas vocabulorum et totius dictionis squalor

---

1) Sen. contr. VII. pr. 3 (Quint. II. 10. 9. XII. 10. 40). cf. Kroll, llb. neue Jahrb. XI. 20⁵.

ad vulgarem sermonis colorem efficiendum valent.[1]) Nostrum libenter pro vocibus urbanis vulgares et in ore tritas usurpare ex omnibus saturis intellegitur. Nec vero opus est omnia exempla colligere. Haec sufficiant: vorare 1. 135, obdomen 2. 86. 4. 107, caballus 3. 118, 10. 60, 11. 195, cachinnus 3. 100, 10. 31, 11. 2, basia 4. 118, 6. 384, hiscere 5. 27, gannire (miserabile longum) 6. 64, pascere (servos) 9. 67, sicca morte 10. 113, putere 11. 121, vetulus 13. 55, puter 14. 132, 13. 95, plangere (funera) 13. 131, minuti . . . animi exiguique 13. 189, sorbere (medicamen) 14. 255, titubare 15. 48.

Minime eleganter, sed populariter multa in saturis dicta sunt, quod vel ex locis in annotatione congestis cognoscitur.[2])

Squalida dictio non modo in saturis secunda, sexta, nona, quae obscoenitate vix superari possunt, sed etiam in reliquis persaepe occurrit. Putida cibaria sordidi avari noster describit 14. 128—134. Similia ea sunt, quae clientibus in cena patroni apponuntur 5. 68, 87, 103—6, 153. Viros feminasque vomentes[3]) et foedis morbis laborantes[4]) proponere nostrum minime taedet. Taeterrima descriptio senectutis est 10. 191—232. Statua arabarchae Aegyptii ita offenditur, ut verba indignationis ei non sufficiant 1. 131. Parasiti ad nimiam adulationem procedunt 3. 107 sq. In depingendis mutilationibus Aegyptiorum, quibus crudelius vix quicquam cogitari potest, diu versatur 15. 55—92. Sine ullo pudore arcana cubiculi, lupanaris, orgiorum profert.

Quamquam multa neglexi, quae Juvenalis locutionem vulgarem et inurbanam produnt, tamen id quidem mihi contigisse spero, ut monstrarem, quid interesset inter saturas nostri et genus dicendi rhetorice comptum atque fucatum.[5]) In demonstrativo enim genere dicendi elegantiam orationis legem principalem fuisse manifestum est.[6]) Remissam autem dictionem Juvenalis non una diatribarum imitatione effectam esse, vel inde patet, quod ut poeta Lucilium[7]) et Horatium[8]) sequitur, qui tamen ipsi quoque diatribas imitati sunt. Sed philosophia popularis ad saturas Juvenalianas, ut illa aetate sapientiae professores maiore auctoritate atque gratia apud populum utebantur, etiam plus valuisse videtur quam ad Horatianas.[9]) Laudationes

---

1) Weber 11—14, 35—38.

2) XIII. 10. 14. 16. 33. 84. 114. 143 (cf. 15. 15. 5. 159. 6. 433). 163. 171 (cf. 10. 33. 3. 100. 7. 212; de verbis ridendi cf. Norden, ann. ph. suppl. 18 p. 323[4]. Weber 36[1]). 244. XIV. 57. 126. 138. 166. 199. 281 sq. 325. 327. IV. 107. V. 171. VII. 171. VIII. 76. 90. X. 5. 63. 116. 281.

3) cf. p. 22 (Sen. 83, 18) 4) 13. 95; 2. 13 cf. Sen. ep. 95. 16, 17. Plut. de cur. 7.

5) Plane perversum est tales locos, quales Teuffel congessit, Juvenali rhetori attribuere. Stud. u. Char. 418.

6) Norden ant. Kunstpr. I. 286 (cf. 331).

7) Marx, Lucil. (1904) p. LIX (LXI).

8) Nec vero adeo noster ab Horatio pendet ut suspicatur Schwartz. Permultae sententiae tritiores sunt, quam ut certo ad hunc reducendae sint.

9) Accedit, ut Horatius hominum stultitiam erroresque potius irrideat, Juvenalis in ipsa vitia invehatur. cf. A. Artel, die drei Hauptvertreter der Sat. bei d. Römern, Villach 1884 p. XIV.

enim philosophiae ac philosophorum, qualibus ille eos qui audiunt hortatur, in huius sermonibus non exstant, nisi forte huc refers sat. II. 3. 44. 287. 100, ep. I. 17. 17 sq. Eademque ratione a philosophis ipsis summi philosophiae duces et egregii viri exemplaria aemulanda proponuntur. cf. Plut prof. virt. 15: τίθεσθαι πρὸ ὀφθαλμῶν τοὺς ὄντας ἀγαθοὺς ἢ γεγενημένους, καὶ διανοεῖσθαι, τί δ'ἂν ἔπραξεν ἐν τούτῳ Πλάτων, τί δ' ἂν εἶπεν Ἐπαμεινώνδας κ. τ. λ. Ep. III. 23. 32. Τοῦτο Σωκράτης ἐποίει, τοῦτο Ζήνων, τοῦτο Κλεάνθης; (man. 33. 12) cf. Juv. 15. 171.

Quid diceret ergo,
vel quo non fugeret, si nunc haec monstra videret,
Pythagoras?

cf. 13. 184, 2. 153.

Etiam sermo vulgaris flosculis oratoriis ornatus et conviciis coniunctus ad Stoicorum[1]) et Cynicorum[2]) artem rhetoricam me iudice optime convenit. Et profecto, si effigies Cynicorum respicimus, quas Epictetus et Lucianus personatus depinxerunt,[3]) tales homines non solum priorum sed etiam posteriorum saturarum argumenta sexta decima excepta simili modo ac nostrum aggressos esse cogitari potest.[4]) Canes enim illi, qui omnes homines allatrabant, nonnumquam singulorum quoque odio ardebant atque etiam principem conviciis obruebant.[5]) Deinde Cynici ad maximam obscoenitatem orationis progrediebantur,[6]) cui quidem apud alios quoque poetas ut Martialem et Catullum occurrimus.[7]) Sed supervacuum est exponere, quamadmodum illi in ea re a nostro differant. Postremo Cynici ipsi artem poeticam pro illecebris habebant, quibus ad praecepta audienda invitarent[8]) Quid quod Seneca Stoicus saturam Menippeam non sine sale ingenioque scripsit. Nimirum Stoici tum a Cynicis una tunica, ut ait Juvenalis, distabant, quapropter Dio Chrysostomus ab aliis in Cynicis philosophis ab aliis in Stoicis numeratur.

---

1) Cic. par. pr.

2) Wachsm. sill. Gr. 68 sq. — Demonax καὶ λέγειν ἤσκητο cap. 4.

3) Ep. III. 22; [Luc.] Cyn.

4) Laudem militiae scripsit Max. Tyrius 29 (13), qui quidem, ut decet artem sophistarum, in alia oratione (30) agricultaram militiae praefert. — In prioribus saturis noster eorum Cynicorum similis est, quos Epictetus describit III. 22. 10 (cf. 26 sq.)

5) Suet. Vesp. 13 (Ep. I. 25. 22) cf. Bernays, Lucian u. die Kyniker p. 29. — Juv. sat. IV.

6) Idem in multos Stoicos cadit (p. 7).

7) Et ad Juvenalem et ad illos poetas Senecae verba quadrant ep. 114. 2: *genus dicendi aliquando imitatur publicos mores . . . . . Argumentum est luxuriae publicae orationis lascivia.*

8) E. Weber, st. Lips. X. 91. 170. — Satiricos etiam Xenophanes (sill.), Plato (Euthyd.), Antisthenes (Σαθ.) se praebent.

Juvenalem autem non modo philosophorum sermones audivisse sed etiam nonnullos libros legisse consentaneum est. Cum Seneca quidem non semel ita consentit, ut haec congruentia non casu effecta esse videatur. Verum considerandum est hic non id agi, ad quos auctores verba Juvenalis referenda sint, sed ratio dicendi. Verba enim sine dubio, quoniam *facit indignatio versum*, res et tempora ipsa saepius provocabant. Sed quoquo modo res se habet, nostrum, etiamsi non recte philosophus dicendus sit, tamen nomine Ethici, quo medio aevo induebatur, haud indignum iudicabimus.

Vita.

Natus sum Reinoldus Schuetze Berolinensis a. d. III. Kal. Mart. MDCCCLXXXII; fidem profiteor evangelicam. Decimum annum agens ntavi gymnasium Berolinense, quod nomine vici regii vocatur. Novem nnos maturitatis testimonio instructus inter cives academicos uniatis a Friderico Guilelmo conditae receptus sum, ubi tres annos studiis philologicis et historicis operam dedi. Scholas frequentabam virorum doctissimorum Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Diels, Heinze, Thomas, Rothstein, Helm, Joh. Schmidt, Schulze, Geldner, Weinhold, E. Schmidt, Roediger, Delbrück, Scheffer Boichorst, Klebs, Dilthey, Dessoir, Vierkandt, Kekule de Stradonitz, Graef. Pernice, Breysig. Per duo semestria interfui tertio, tria secundo coetui proseminarii philologici, cui praeerant de Wilamowitz-Moellendorff et Diels. Ad historicas tironum exercitationes Struck et Roloff me admiserunt.

Vere anni MCMIII Gryphiam transmigravi, ubi me per duos annos instituerunt viri doctissimi Gercke, Kroll, Radermacher, Seeck, Credner, Schuppe, Rehmke. Seminarii philologici sodalis fui per ter sex menses. Seeck et Rehmke benigne mihi concesserunt, ut exercitationibus historicis et philosophis interessem. Tentamen rigorosum Gerckio decano a. d. IV. Id. Maias h. a. subii.

Praeceptoribus cum Berolinensibus tum Gryphiensibus optime de me meritis maximas gratias ago ac memoriam eorum semper colam. Krollio praeterea gratias ago, quod in hac dissertatione componenda et typis exscribenda consilio et opera me iuvit.

Juvenalem autem non modo philosophorum sermones audivisse sed etiam nonnullos libros legisse consentaneum est. Cum Seneca quidem non semel ita consentit, ut haec congruentia non casu effecta esse videatur. Verum considerandum est hic non id agi, ad quos auctores verba Juvenalis referenda sint, sed ratio dicendi. Verba enim sine dubio, quoniam *facit indignatio versum*, res et tempora ipsa saepius provocabant. Sed quoquo modo res se habet, nostrum, etiamsi non recte philosophus dicendus sit, tamen nomine Ethici, quo medio aevo induebatur, haud indignum iudicabimus.

Vita.

Natus sum Reinoldus Schuetze Berolinensis a. d. III. Kal. Mart. a. MDCCCLXXXII; fidem profiteor evangelicam. Decimum annum agens frequentavi gymnasium Berolinense, quod nomine vici regii vocatur. Novem post annos maturitatis testimonio instructus inter cives academicos universitatis a Friderico Guilelmo conditae receptus sum, ubi tres annos studiis philologicis et historicis operam dedi. Scholas frequentabam virorum doctissimorum Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Diels, Heinze, Thomas, Rothstein, Helm, Joh. Schmidt, Schulze, Geldner, Weinhold, E. Schmidt, Roediger, Delbrück, Scheffer-Boichorst, Klebs, Dilthey, Dessoir, Vierkandt Kekule de Stradonitz, Graef, Pernice, Breysig. Per duo semestria interfui tertio, tria secundo coetui proseminarii philologici, cui praeerant de Wilamowitz-Moellendorff et Diels. Ad historicas tironum exercitationes Struck et Roloff me admiserunt.

Vere anni MCMIII Gryphiam transmigravi, ubi me per duos annos instituerunt viri doctissimi Gercke, Kroll, Radermacher, Seeck, Credner, Schuppe, Rehmke. Seminarii philologici sodalis fui per ter sex menses. Seeck et Rehmke benigne mihi concesserunt, ut exercitationibus historicis et philosophis interessem. Tentamen rigorosum Gerckio decano a. d. IV Id. Maias h. a. subii.

Praeceptoribus cum Berolinensibus tum Gryphiensibus optime de me meritis maximas gratias ago ac memoriam eorum semper colam. Krollio praeterea gratias ago, quod in hac dissertatione componenda et typis exscribenda consilio et opera me iuvit.

Sentententiae controversae.

I.

Verba, quae exstant Lucian. v. auct. 15—18, vitae Plat[redacted] tribuenda sunt.

II.

Luciani dialogi, qui inscribuntur vitarum auctio et piscator, non ita cohaerent, ut Bruns censet Rh. M. 43.

III.

In Demosthenis oratione περὶ τῶν συμμοριῶν § 20 de contributionibus aerarii agi e verbis, quae legimus, non efficitur. (Boeckh, Staatshaushalt d. Ath.[3] p. 654 sq.)

IV.

Hor. ep. I. 11 vv. 7 sq. poetae ipsi tribuendi sunt.

V.

Hor. ep. I. 16. 15 verba sic sunt coniungenda: *etiam, si credis.* (non: *et, iam si credis.*)

Sententiae controversae.

I.

Verba, quae exstant Lucian. v. auct. 15–18, vitae Platonicae tribuenda sunt.

II.

Luciani dialogi, qui inscribuntur vitarum auctio et piscator, non ita cohaerent, ut Bruns censet Rh. M. 43.

III.

In Demosthenis oratione περὶ τῶν συμμοριῶν § 20 de contributionibus aerarii agi e verbis, quae legimus, non efficitur. (Boeckh, Staatshaushalt d. Ath.[3] p. 654 sq.)

IV.

Hor. ep. I. 11 vv. 7 sq. poetae ipsi tribuendi sunt.

V.

Hor. ep. I. 16 15 verba sic sunt coniungenda: *etiam, si credis.* (non: *et, iam si credis.*)